

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (17)

4.6. DE MISSIONE COREANA SUSCEPTA DEQUE ABBATIS PRIMO ITINERE COREANO

4.6.1. De causis condicionibusque novae missionis

Cum Ottiliani adhuc essent in eo, ut in regione missionariā Africæ orientalis multis laboribus atque viribus contentis damna in seditione belloque Africa-no accepta reficere conarentur,¹ ex improviso nova proposita eis oblata sunt, quae tamen nobis respicientibus Congregationi Ottilianaæ erant maximi momenti. Nam episcopus Gustavus Mutel, Vicarius Apostolicus Coreæ,² iam ex quibusdam annis cooperatores quaesivit, qui in regione missionariā Coreanā patribus Francogallis sub aspectū speciali auxilium ferrent. Hōc conamen diu sine effectū erat. Idem autem iam aestate anni 1908³ epistulari-ter ab Ottilianis auxilium petiverat,³ sed iidem responsum negativum dede-runt,⁴ quia propter missionem Africanam reaedificandam hōc fieri non posse

¹ Cfr supra cap. 4.3.3.

² Gustavus Cárulos Maria Mutel (1854-1933) erat sodalis Francogallicae Consociationis sacerdotum, cui nomen erat «Missiones exteræ» [«Missions Étrangères»], et inde ex anno 1890^o episcopus titularis Milonensis [*Milos*] atque Vicarius Apostolicus totius Coreæ.

³ Talem epistulam commemorant Frumentius RENNER: Mutterabtei St. Ottilien und Entfaltung der Kongregation. In: Der fünfarmige Leuchter. II. St. Ottilien²1992, p. 22; Frumentius RENNER: Missionarisches Wirken in Korea und in der Südmandschurei (1909-1954). In: Leuchter IV (1993), p. 127; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht der Abtei St. Benedikt in Seoul, ihrer Verlegung nach Tokwon und Tätigkeit der Benediktiner im Apost. Vikariat Wonsan. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab. 60 Jahre Benediktinermission in Korea und in der Mandschurei. Münsterschwarzach 1973, p. 80; Olaf GRAF: Abtbischof Bonifatius Sauer OSB. Lebensbild des Gründers der Benediktinermission in Korea. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), p. 68; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser. Missionsbenediktiner in Ostasien. I. St. Ottilien 2009, p. 50, qui scribit hanc epistulam in initio mensis Octobris a. 1908^o Ottilianis allatam esse, sed Gustavus Mutel iam die 15^o m. Sept. a. 1908^o ipse in monasterio Ottiliensi versabatur.

⁴ Refertur autem Gustavum Mutel hanc epistulam nondum accepisse, antequam ipse ad monasterium Ottiliense venerat. - Cfr Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), p. 80; Olaf GRAF: Bonifatius Sauer. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), p. 68; Frumentius RENNER: Missionarisches Wirken. In: Leuchter IV (1993), p. 128;

putaverant.

Tamen res aliter evēnērunt. Nam episcopus Gustavus Mutel etiam Romae interrogaverat, quo se verteret, atque ab Congregatione de Propaganda Fide ad Benedictinos Ottilianos missus est. Itaque episcopus iter suscepit monasterium petens, ut cum ipso abbate consultationes iniret.⁵ Haec vero colloquia inde ab die 15^o m. Sept. a. 1908^o per paucos dies instituebantur.⁶

Sed cuius generis auxilium Vicarius Apostolicus Coreae ab Benedictinis petivit? Missionarii Francogalli iam pridem in Coreā efficaciter operabantur.⁷ Sed decursū temporis episcopus ad persuasionem pervēnerat, quā in regione missionariā plures scholae (scilicet catholicae) condendae essent atque Coreanis institutiones scholares praebendae essent. Nam missionarii Protestantici scholis conditis atque totā in regione institutis iam magnum effectum exseruerant. Tamen missionarii Francogalli propter pecuniam atque cooperatorum deficientes talia facere non valuerunt. Itaque Gustavus Mutel Benedictinis Ottilianis proposuit, ut in Vicariatu Apostolico Coreae, specialiter in

Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 50.

⁵ Cfr Norberti Weber epistula circularis Kal. Nov. a. 1909 ad episcopos directa (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a). - Cfr Frumentius RENNER: Die Berufung der Benediktiner nach Korea und Manchukuo. In: Leuchter II (1992), p. 217; Cyrillus WEHRMEISTER: Die Benediktinermissionäre von St. Ottilien. St. Ottilien 1939, p. 100; Cyrillus WEHRMEISTER: Die Entwicklung der Erzabtei und der Benediktinerkongregation von St. Ottilien. In: Lumen Caecis. St. Ottilien 1928, p. 166; Frumentius RENNER: Norbert Weber. In: Adolf LAYER (ed.): Lebensbilder aus dem Bayerischen Schwaben. 11. Weißenhorn 1976, p. 339; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter II (1992), p. 22; Placidus BERGER: Die alte Abtei Seoul. Versuch einer rein monastischen Missionsaufgabe. In: Basilius DOPPELFELD (ed.): Mönche und Missionare. Münsterschwarzach 1988, p. 83; Frumentius RENNER: Missionarisches Wirken. In: Leuchter IV (1993), p. 128; Cyrill SCHÄFER: Stella maris. St. Ottilien 2005, p. 82 adn. 152; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 50; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), p. 80; Dominikus ENSHOFF: Wie wir nach Korea kamen. In: Missionsblätter 15, 1911, pp. 122 sq.; Ivo AUF DER MAUR: Koreanische Benediktinermönche. In: Neue Zeitschrift für Missionswissenschaft 37, 1981, p. 83.

⁶ Episcopus Gustavus Mutel quibusdam difficultatibus itineris superatis vespere diei 14ⁱ m. Sept. a. 1908^o inopinanter ad monasterium Ottiliense pervēnit, quam conditionem miram specialemque ipse postea libenter narravisse videtur. - Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (1992), p. 217 commemorat subscriptionem episcopi Gustavi Mutel sub die 15^o m. Sept. a. 1908^o in vetustissimo hospitum libro Ottiliensi inveniri.

⁷ Sacerdotes «Missionum exterarum» iam ex anno 1831^o in Coreā operabantur.

ipsā urbe Seulo⁸ talia munera exanclanda susciperent et hunc in modum etiam missionem Coreanam promoverent.⁹ Tempus autem secundum sententiam episcopi erat vere opportunum, praeter alia etiam eā de causā, cum ipsi Coreani huiusmodi institutionem valde desiderarent.

Videtur autem Gustavus Mutel efficaciter atque persuasibiliter locutus esse, cum abbas atque conventus Ottiliensis huic muneri suscipiendo denique assentirentur.¹⁰ Tamen quaestio exoritur, cur paulo postquam Ottiliani ad


⁸ Seulum, -ī n.: *Seoul*.

⁹ Cfr ex. gr. Norberti Weber epistula circularis Kal. Nov. a. 1909 ad episcopos directa (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a). - Cfr Frumentius RENNER: Die Benediktinerkongregation von St. Ottilien. In: Ulrich FAUST / Franz QUARTAL (edd.): Germania Benedictina. I. Die Reformverbände und Kongregationen der Benediktiner im Deutschen Sprachraum. St. Ottilien 1999, p. 807; Cyrillus WEHRMEISTER (1939), p. 100; Cyrillus WEHRMEISTER: Entwicklung. In: Lumen Caecis (1928), p. 166; Leander BOPP: St. Ottilien fünfzig Jahre Abtei (1952), p. 71 (Typoscriptum in archivio Ottiliensi asservatum); Chrysostomus SCHMID: Erzabt Weber. In: Benediktinische Monatsschrift 32, 1956, p. 220 [Cfr Chrysostomus SCHMID: Ansprache bei dem Trauergottesdienst für den am 3. April 1956 in Litembo, Ostafrika, heimgegangenen Hochwürdigen Herrn Dr. h.c. Norbert Weber, freiresignierten Erzabtes von St. Ottilien, p. 3 (ASO, A.1.8.1)]; Cyril SCHÄFER (2005), p. 32; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), p. 80; Dominikus ENSHOFF: Die Benediktinermission in Korea. St. Ottilien 1909, p. 4 (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a); Dominikus ENSHOFF: Wie wir nach Korea kamen. In: Missionsblätter 15, 1911, p. 122; Frumentius RENNER: Die Kongregation von St. Ottilien und ihre Filialitionen. In: Studien und Mitteilungen zur Geschichte des Benediktinerordens und seiner Zweige 95, 1984, p. 37; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter II (1992), p. 22; Frumentius RENNER: Missionarisches Wirken. In: Leuchter IV (1993), p. 128.

¹⁰ Plerisque in investigationibus atque relationibus de hac re factis assensionem celeriter atque quasi unanimiter praebitam esse refertur. Sed puto - sicut etiam Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, p. 132 - plures monachos in disputatione existimavisse omnes vires in missionem Africanam consolidandam esse adhibendas. Ceterum nonnulli mirum in modum expressis verbis affirmant etiam episcopum Thomam Spreiter, Vicarium Apostolicum Daressalamensem, propositum Gustavi Mutel non esse reiciendum putavisse (cfr Dominikus ENSHOFF: Die Benediktinermission in Korea (1909), pp. 4 sq. (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a); Dominikus ENSHOFF: Wie wir nach Korea kamen. In: Missionsblätter 15, 1911, p. 123; Norberti Weber epistula circularis Kal. Nov. a. 1909 ad episcopos directa (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a), qui solum scribit consultationes cum Thoma Spreiter, qui modo adfuerat, habitas esse). Significans esse videtur, quod putabatur hanc assensionem Thomae Spreiter specialiter commemorandam esse. Nam idem - ut notum erat - consiliis Norberti Weber libenter oblocutus est, imprimis vero cum detrimentum

rogationem Gustavi Mutel scripto modo negative responderint, iidem eius propositum nihilominus acceperint. Nam inter tam breve spatium temporis

condiciones generales in abbatiā vigentes non sunt mutatae.¹¹ Causa opinionis mutatae non solum in vi persuasoriā Vicarii Apostolici Coreae neque tantummodo in eius argu- mento, quo missiones Protestantiae magnum effectum iam exseruerant, inveniri potest.¹²



*Episcopus Gustavus Mutel,
Vicarius Apostolicus Coreae.
[Dominikus ENSHOFF: *Benediktinermission*
(1909), p. 13.]*

nariam denique ad effectum adducere potuit, nempe sub fundamento Bene- dictino monasticoque opus quoddam missionarium suscipere, id est veros

pro Vicariatu suo timendum esset.

¹¹ Frumentius RENNER: Berufung: In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), p. 218 explicat illo tempore ex omnibus patribus Ottilianis, qui maximā ex parte in regione missionariā vel etiam in prioratibus Bavanicis vel in domibus studiorum operabantur, tantummodo novem in ipsā abbatiā versatos esse, qui praeterea multiplicibus operibus monasterialibus occupati erant. - Similiter etiam Ivo AUF DER MAUR (1981), p. 83 (ceterum hōc in conexū auctor de «archiabbatiā» atque «archiabbe» scribit, quamvis illo tempore hi tituli ad monasterium Ottiliense nondum pertinuerint).

¹² Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), p. 217 affirmat abbatem, cum episcopus Gustavus Mutel ex Roma quadamtenus a papa missus venisset, huic vocationi se subtrahere non potuisse neque hoc ei licuisse. Sed puto hanc explicationem etiam non sufficere. Nam posterioribus temporibus Norbertus Weber alia proposita missionaria directe ab Vaticano ei exhibita statim recusavit.

monachos missionarie operantes sive missionarios monastice viventes habere.¹³ Condiciones enim - ut scimus - in Africa variis ex causis omnino aliter se habebant, de quibus abbas superiorisque generalis Norbertus Weber non vere contentus erat.¹⁴ Itaque in urbe Seulo monasterium condi ab initio provisum erat.¹⁵

Quod illud novum munus missionarium ab Ottilianis illo tempore, quamvis aliae quoque difficultates vigerent, tamen celeriter suscipiebatur, certe etiam causas quasdam habuit «laterales», ut ita dicam. Nam unā ex parte condicio politica in Asiā tunc temporis vigens talibus inceptis opportuna erat, cum civitates Asianae antea magis seclusae variis ex causis aliquatenus aperirentur, ut ex incitamentis occidentalibus emolumenta quaedam caperent.¹⁶

¹³ Similiter etiam ex. gr. Cyrill SCHÄFER (2005), p. 82; Johannes MAHR: «Sein Reich ist zunächst auf dieser Welt». Erzabt Norbert Weber als Organisator benediktinischer Missionsarbeit. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER: Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, p. 129; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 62. - Tales cogitationes Norberti Weber iam apparent, cum ipse in epistulā Kal. Nov. a. 1909 ad episcopos directā (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a) scripsit propositum Gustavi Mutel imprimis eā de causā acceptum esse, quia in Corea unā ex parte opus magnum, sed in se consistens effici posset, alterā ex parte quia ibidem vita monastica fieri posset. - Similia significantur in Dominici Enshoff relationibus: cfr Dominikus ENSHOFF: Die Benediktinermission in Korea (1909), p. 5 (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a); Dominikus ENSHOFF: Wie wir nach Korea kamen. In: Missionsblätter 15, 1911, p. 123.

¹⁴ Cfr supra cap. 4.3.3.4, cap. 4.4.

¹⁵ Ivo AUF DER MAUR (1981), pp. 82 sqq. in quaestionem incumbit, quales scopi in domo Coreanā fundandā fuerint. Nam quaedam sententiae in relationibus posterioribus ei contradictoriae atque perturbantes videbantur, cum unā ex parte Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), p. 80 scripsisset primarium scopum fundationis fuisse in eo, ut vita monastica in Coreā efficieretur et tamquam effectus secundarius scholae conderentur, alterā ex parte Olaf GRAF: Bonifatius Sauer. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), p. 69 attulisset ab Benedictinis exspectatum fuisse, ut quam primum scholas instituerent. Expressis autem verbis Ivo auf der Maur affirmat illo tempore initiali illud monasterium Coreanum non esse conditum, ut monachi indigenae acquirerentur. Hoc sub aspectū - ut puto - omnino recte dixit. Sed in monasterio Coreano condendo revera agebatur de bonā coniunctione inter missionem et vitam monasticam, id est uterque aspectus erat magni momenti, quo in conexu de indigenis monachis Coreanis recipiendis nondum cogitabatur.

¹⁶ De hac re cfr ex. gr. Marion EGGERT / Jörg PLASSEN: Kleine Geschichte Koreas. München 2005, pp. 126 sqq.; Hilary CONROY: The Japanese Seizure of Korea: 1868-1910. A Study of Realism and Idealism in International Relations. Philadelphia 1960, pp. 161 sqq.; Peter DUUS: The Abacus and the Sword. The Japanese Penetration of

Occasione ergo erat utendum, antequam condiciones denuo mutarentur. Itaque abbas Norbertus Weber hanc opportunam occasionem ad munus Coreanum suscipiendum explicare solebat verbis, quae sunt «Nunc aut numquam».¹⁷

Incitamentum quoddam - tamen magis «laterale» (quia sine illis aliis causis verisimiliter nihil valuisse) - ad fundationem Coreanam incohandom erat in eo, quod anno 1907^o in conventu praesidum Congregationum Benedictinorum Romae habito, cui etiam Norbertus Weber intererat, praeter alia etiam proponebatur, ut opere Sancti Bonifatii continuando Ordo Benedictinus etiam in Asiam transferretur atque ibidem radices ageret.¹⁸ Quamvis omnes praesentes generaliter assentirentur, tamen - sicut talibus condicionibus saepissime fit - nemo hoc propositum ad effectum adducere voluit, quia omnes abbates praesentes putaverunt - et hoc certe non falso - monasteriis Congregationum suarum satis superque esse facienda eaque in praesenti nova incepta suspicere non valere. Etiam abbas Norbertus Weber illo temporis momento omnino se retinuerat.¹⁹ Tamen anno 1909^o munere Coreano

Korea, 1895-1910. Berkeley / Los Angeles / London 1995, pp. 66 sqq.; Bruno LEWIN: Geschichte Koreas. In: Wolf-D. v. BARLOEWEN: Abriss der Geschichte außereuropäischer Kulturen. II. München / Wien 1964, pp. 232 sqq.; Young-Ho PARK: Ursachen und Auswirkungen des japanischen Subimperialismus dargestellt anhand der Öffnung und Kolonialisierung Koreas, 1876-1945. Diss. Frankfurt/M 1979, pp. 39 sqq.; Gottfried-Karl KINDERMANN: Der Aufstieg Koreas in die Weltpolitik. Von der Landesöffnung bis zur Gegenwart. München 2005, pp. 39 sqq.

¹⁷ Cfr imprimis Norbert WEBER: Lage der Heidenmission. Rede, gehalten auf dem Katholikentag zu Augsburg 1910. St. Ottilien 1916, p. 7, ubi non solum hanc sententiam protulit, sed etiam opportunam condicionem explicuit, quae tamen non esset diuturna (cfr p. 6: «*Condicio est opportuna, sed urget*» [Textus originaliter Theodiscus]). - Cfr etiam Norbert WEBER: Menschensorge für Gottesreich. St. Ottilien 1913, p. 49.

¹⁸ Cfr Dominikus ENSHOFF: Die Benediktinermission in Korea (1909), pp. 5 sq. (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a); Dominikus ENSHOFF: Wie wir nach Korea kamen. In: Missionsblätter 15, 1911, p. 121; Beda DANZER: Die Benediktinerregel in Übersee. St. Ottilien 1929, p. 36; Johannes MAHR (2003), p. 129; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 62.

¹⁹ Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 62 suspicatur Norbertum Weber, qui immediate post conventum praesidum anni 1907ⁱ colloquium cum Praefecto Congregationis de Propaganda Fide Antonio Gotti habuit, illā in consultatione tamen missionem Ottilianorum in Asiam iam praeparavisse, cum ibidem significaret se ad talia paratum esse. Sed interrogandum est, cur unā ex parte inclinationem suam non statim in ipso conventū Benedictinorum pronuntiaverit, alterā ex parte cur ad epistulam

denique suscepto Norbertus Weber gaudenter atque modo elato annuntiavit Congregationem Ottilianam hōc propositum conventūs Benedictinorum ad effectum adducturam esse.²⁰

Colloquiis autem mense Septembri a. 1908^o habitis abbas Ottiliensis atque Vicarius Apostolicus Coreae conventionem scripto modo inierunt,²¹ quā agebatur de cooperatione speciali in Vicariatū Coreano instituendā. Deinde opus ab Ottilianis satis celeriter suscipiebatur. Nam iam medio mense Ianuario in Coream profecti sunt P. Bonifatius Sauer et P. Dominicus Enshoff, ut ibīdem fundationem praepararent.²² Cum autem cogitemus de scopo funda-

Gustavi Mutel primo negative responderit. Ceterum Dominikus ENSHOFF: Wie wir nach Korea kamen. In: Missionsblätter 15, 1911, p. 122 refert abbatem Norbertum Weber post conventum Benedictinorum hōc propositum domi ne quidem commemoravisse.

²⁰ *Cfr* Norberti Weber epistula circularis Kal. Nov. a. 1909 ad episcopos directa (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a), quā īdem propositum anni 1907ⁱ commemorans scripsit īdem «*contra exspectationem suam*» «*ab ramo recentissimo atque humillimo Ordinis Benedictini ad effectum adductum iri*» (ASO, Z.1.Asien: Soeul 1909-1927 a) [Textus originaliter Theodiscus]. - Ex his verbis elucet animus elatus de hac condicione, quā Ottiliani, qui ab vetustioribus Congregationibus usque tunc paulo contemptim aspiciebantur, ad desiderium commune respondentes ea faciunt, quae reliquae Congregationes non valeant.

²¹ Illa conventio die 19^o m. Sept. a. 1908^o inita est atque die 20^o m. Febr. a. 1909^o ab Congregatione de Propaganda Fide comprobata est. *Cfr* epistula cardinalis Antonii Gotti die 20 m. Febr. a. 1909 ad Gustavum Mutel directa (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a), ubi agitur de hac conventione eiusque scopo comprobatis. - *Cfr* etiam epistula cardinalis Antonii Gotti die 11 m. Ian. a. 1909 ad Norbertum Weber directa (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a), ubi praeter alia leguntur haec: «*Nuper huic S. Congregationi transmisit R.P.D. Gustavus Mutel Vicarius Apostolicus Coreae exemplar conventionis, quae intercedere deberet Vicariatum inter et Patres Benedictinos istius, cui praees Abbatiae Sae Ottiliae circa erectionem in urbe Seoul cuiusdam Scholae seu Instituti, quod iisdem Benedictinis Patribus in perpetuum concederetur.*» (Textus originaliter Latinus). Ceterum hac epistulā agitur de quibusdam quaestionibus, ad quas responsa exspectabantur, antequam conventio ab Congregatione de Propaganda Fide comprobaretur. - *Cfr* ex. gr. etiam textus Gustavi Mutel die 7 m. Aug. a. 1909 exhibitus (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b), ubi quoque dies, quo conventio inita est, indicatur.

²² Saepe in relationibus posterioribus legitur illos duos patres missos esse, ut possibilitates fundationis explorarent. *Cfr* Beda DANZER (1929), p. 36; Cyrillus WEHRMEISTER (1928), p. 166; Cyrillus WEHRMEISTER (1939), p. 100; Leander BOPP (1952), p. 70; Godfrey SIEBER: Bischof Bonifaz Sauer (1877-1950), Abt und Bischof in Korea (1921-1950). In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St.

tionis, id est de scholis condendis,²³ non est mirandum, quod illi duo missi sunt primi, qui in patriā Ottilianis domibus studiorum paeerant.²⁴

P. Bonifatius Sauer et P. Dominicus Enshoff die 25^o m. Febr. a. 1909^o ad urbem Seulum advēnērunt,²⁵ ubi ab episcopo Gustavo Mutel eiusque missionariis bene recepti sunt. Tamen ad opus paeeparandum incohandumque iam ab initio multi labores exanclandi erant. Maximi enim momenti erat aream aptam invenire, in quā monasterium scholaeque condi atque exstrui possent.²⁶ Haec quidem res variis ex causis non erat ita facilis, etiam eā de

Ottlien 2003, p. 351. - Haec explicatio sonat, tamquam Coreana commoratio Bonifatii Sauer atque Dominici Enshoff etiam talem effectum habere potuisse, quo Ottiliani opus deponerent atque iterum se reciperent. Tamen ex documentis supra allatis (*cfr* adn. 21) appetet veram conventionem iam initam atque iam ante adventum illorum duorum patrum ab Congregatione de Propaganda Fide comprobata fuisse.

²³ *Cfr* Johannes MAHR (2003), p. 129, qui hōc in conexū animum Norberti Weber satis mutabilem atque flexibilem fuisse existimat, quia īdem, quod attinet ad regionem missionariam Africanam, methodum missionariam propagaverit, quā agricultura sit fovenda atque hunc in modum facilius monasteria condi possint, sed e contrario in Coreā monasterium condere voluerit, quo magistri atque opifices erudirentur. Puto autem non fuisse progrediendi modum contradictorium, sed ad regionem aliam adaptatum, cum in Coreā de omnino alio cultū civili ageretur. Norbertum Weber de talibus distinctionibus cogitavisse etiam appetet in ipsius orationibus scriptisque. Ceterum eruditio scholaris eidem generaliter erat magni momenti, etiamsi in regione Africanā imprimis scholae elementariae ei cordi erant.

²⁴ Bonifatius Sauer illo tempore fuerat superior domūs studiorum Dillingensis, Dominicus Enshoff superior domūs studiorum Monacensis. - Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Pacidus BERGER: Hwan Gab (1973), p. 81 per errorem scribit Dominicum Enshoff, cum in Coream veheretur, fuisse cellararium monasterii Otteliensis, sed hōc munere īdem P.re Columbano Steiner cellarario aegrotante demum inde ab mense Martio a. 1911ⁱ functus est (*cfr* Chron. Ottil. m. Mart. a. 1911).

²⁵ De ipso die *cfr* Dominikus ENSHOFF: 1. Bericht in der koreanischen Angelegenheit (2.4.1909), p. 1 (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a); Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (1992), p. 219; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 103. Adventum in fine mensis Februarii a. 1909ⁱ fuisse generaliter indicant Dominikus ENSHOFF: Wie wir nach Korea kamen. In: Missionsblätter 15, 1911, p. 113; Godfrey SIEBER (1992), p. 35; Godfrey SIEBER: Bischof Sauer (2003), p. 351; Frumentius RENNER: Missionarisches Wirken. In: Leuchter IV (1993), p. 128. - De ipso itinere *cfr* relatio Bonifatii SAUER: Brief des P. Bonifatius Sauer von seiner Reise nach Korea. In: Missionsblätter 13, 1908/09, pp. 109 sqq.; 118 sqq.

²⁶ Apostolicus Vicarius iam aream quandam emerat, quam illis tradere voluit, qui opus scholare suscepturi erant. Sed re inspectā Ottiliani Gustavo Mutel assentiente existimaverunt illam aream non esse idoneam atque nimis parvam ad opus suum

causā, quia illi duo monachi Ottiliani condicionibus in Coreā vigentibus non assuefacti erant neque illo tempore iam linguae Coreanae periti erant. In modo progrediendi non solum cultus civilis, structura urbis Seuli, sensibilitates Coreanorum atque indigentiae quoque Benedictinorum respiciendae erant, sed etiam condiciones politicae. Nam Corea tunc temporis, quo Ottiliani advēnērunt, iam inde ex anno 1905^o in protecturatū Iaponiae erat.²⁷ Hōc quidem verbum melius sonat quam in realitate erat, cum Iapones non solum Coreae politicam externam, sed etiam politicam internam dirigerent, tota administratio Coreana ab magistratibus Iaponibus (qui illo spatio temporis adhuc consultatores appellabantur) gubernaretur atque observaretur et ipse populus Coreanus ut meri subditi tractaretur. Sequela - sicut saepissime talibus sub condicionibus - erat in eo, quod maior pars Coreanorum oeconomice male se habuit, accessum ad superiora munera administratoria politicaque non habuit atque cultus civilis Coreanus suppressus.

Episcopus Gustavus Mutel, qui iam multos annos in Corea versabatur, his primis septimanis Bonifatium Sauer atque Dominicum Enshoff multimodis adiuvit, condiciones eis explicuit, eos ad administratores comitatus est, munere interpretis functus est et in primis conaminibus areae aptae quaerendae eis adstitit.²⁸ Tamen aream invenire, quae ad fundationem esset idonea, diutius satis difficile erat, quae difficultas et cum ipsis locis et cum progreendi modo administrationis cohaerebat.²⁹ Experiētiā docti denique locum


instituendum, quā de causā area in possessione Vicariatū remansit. Gustavus autem Mutel, ut ipse dixerat, aream emerat, antequam scivit Benedictinos ad auxilium ferendum venturos esse. - *Cfr* Dominikus ENSHOFF: 1. Bericht in der koreanischen Angelegenheit (2.3.1909), pp. 7 sqq. (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a), ubi etiam varias causas attulit, cur illa area non esset apta; *cfr* etiam scriptum Gustavi Mutel die 7 m. Aug. a. 1909 exhibitum (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b); Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), pp. 104 sq.

²⁷ In Corea iam ex pluribus annis Civitates maiores, imprimis Sinae, Russia atque Iaponia, de praeponderantia (etiam modo bellico) certaverunt, cum hōc territorium sub aspectū oeconomico, militari atque politico eis utile esse videretur. - *Cfr* ex. gr. Marion EGGERT / Jörg PLASSEN (2005), pp. 116 sqq.; Bruno LEWIN (1964), pp. 232 sqq.; Young-Ho PARK (1979), pp. 80 sqq.; Gottfried-Karl KINDERMANN (2005), pp. 39 sqq.; Hilary CONROY (1960), pp. 381 sqq.; Peter DUUS (1995), pp. 237 sqq.

²⁸ Etiam annis insequentibus coniunctio inter Bonifatium Sauer atque Gustavum Mutel mansit bona, etiamsi interdum condiciones externae non erant opportuna.

²⁹ Condiciones quaerendi, ambulationes longas, difficultates deceptionsque bene describit imprimis Dominikus ENSHOFF: 1. Bericht in der koreanischen Angelegenheit (2.3.1909), pp. 9 sqq. (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a). - *Cfr* etiam Dominikus

aptum invēnērunt et ad fundum satis magnum acquirendum plures parvas areas iuxta invicem sitas coemendas curaverunt.³⁰ Ille fundus demum decem hectaria habuit et in oriente urbis situs erat non longe ab oppidani muri «parvā portā orientali», quae dicebatur.³¹ Ibi plura emolumenta praebebantur,



«Parva porta orientalis» ex exteriore parte urbis Seuli recepta.
[Norbert WEBER: *Im Land der Morgenstille. St. Ottilien*² 1923, p. 45.]

cum non solum fundus aliquatenus latus esset ad monasterium, scholam, opificinas erigendas, sed etiam pars muri oppidani fieri posset murus clausurae, coniunctio cum ipsa urbe satis facilis esset, agri hortique bene institui possent.

ENSHOFF: Wie wir nach Korea kamen. In: Missionsblätter 15, 1911, p. 124; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), pp. 106 sqq.

³⁰ Ad maiores difficultates retardationesque vitandas singulae areae minores ab Coreano quodam coemebantur, deinde P.ri Bonifatio Sauer totus fundus traditus et sub eius nomine inscriptus est.

³¹ Cfr Dominikus ENSHOFF: 1. Bericht in der koreanischen Angelegenheit (2.3.1909), pp. 11 sq. (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a); Dominikus ENSHOFF: Benediktinermission (1909), p. 7 (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a); Dominikus ENSHOFF: Wie wir nach Korea kamen. In: Missionsblätter 15, 1911, pp. 124 sq.; Beda DANZER (1929), p. 36; Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (²1992), p. 221; Godfrey SIEBER: Bischof Sauer (2003), p. 351; Frumentius RENNER: Missionstätigkeit. In: Leuchter IV (1993), p. 128; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), p. 81; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), pp. 110 sqq.

Provisum autem erat, ut P. Bonifatius Sauer fieret superior novae fundationis.³² Itaque idem in Coreā mansit incepsum in ipso loco promoturus et P. Dominicus Enshoff die 8^o m. Aug. a. 1909^o in patriam revertit, cum ei munus impositum esset, quo materias pecuniasque ad fundationem Coreanam sustentandam procuraret.³³ Tale officium non erat nullius momenti, quia ab

³² Cfr Dominikus ENSHOFF: Benediktinermission (1909), p. 6 (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a); Dominikus ENSHOFF: Wie wir nach Korea kamen. In: Missionsblätter 15, 1911, p. 125; Beda DANZER (1929), p. 37; Cyrillus WEHRMEISTER (1928), p. 167; Cyrillus WEHRMEISTER (1939), p. 100; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), p. 22; Johannes MAHR (2003), p. 123; Godfrey SIEBER: Bischof Sauer (2003), p. 351; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), p. 81. - Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), pp. 218, 221 scribit ante profectionem ex patria Dominicum Enshoff futurum superiorum destinatum fuisse, sed mense Aprili a. 1909ⁱ abbatem Norbertum Weber epistulariter tamen P. rem Bonifatium Sauer superiorum instituisse. Sed haec res mihi non omnino verisimilis esse videtur, cum neque fuerit causa, cur P. Bonifatius non ab initio superior futurus destinaretur (imprimis cum novem annis iunior esset quam P. Dominicus), neque fuerit causa, cur mediā re incohatae praedispositiones mutarentur. Praeterea ipse Dominicus Enshoff in secundā relatione suā Coreanā, quae - ut ex textū appareat - iam ante areas emptas conscripta est, ab domo matrice testimonia quaedam petivit, quae erant necessaria, ut potestatis mandatum generale P. ris Bonifatii Sauer in Corea agnosceretur (Dominikus ENSHOFF: 2. Bericht aus Korea, pp. 6 sqq. (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a). Cur autem P. Bonifatius Sauer tale potestatis mandatum generale habuit, nisi iam superior provisus erat?

³³ Vicarius Apostolicus Gustavus Mutel die 6^o m. Aug. 1909^o epistulam quadamtenus circularem scripsit, quā de conventione inter Congregationem Ottiliensem atque ipsum factā agitur et quā Dominicus Enshoff ut procurator commendatur (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b). Textus autem est hic:

«Gustavus Carolus Maria Mutel, Dei et S. Sedis Apostolicae gratia, Ep.us tit. Milen. necnon Vic. Ap. Coreae

Omnibus quorum interesse poterit fidem facimus et testamur Nos cum R.P.D. Abbe Ottiliensis Congregationis S. Benedicti conventionem iniisse si cuius RR. PP. Benedictini onus in se suscepereunt scholas bonarum artium in nostra Missione et praecise in Civitate Seoul erigendi, quibus catholica iuventus in fide confirmari et ethnici etiam ad fidem veram adduci queant, quam quidem conventionem E.mus Cardinalis Gotti S.C. de Propaganda Fide Praefectus adprobare dignatus est. Quanti autem momenti Missioni nostrae eiusmodi opus futurum sit nemo est, qui ambigat, praesertim si attendat necessitatem speciale instructionis promovenda in illa regione, quae ad culturam novam quam maxime pro nunc excitatur, et audacissima consilia, quibus haeretici et schismatici Coreanam iuventutem ad partes suas adducere conantur. Quapropter omnium benevolentia enixe commendamus R.P. Dominicum Enshoff praelaudatae Congregationis religiosum et Domus Monacensis Priorem, qui omnibus

Apostolico Vicariatū Coreae nullum auxilium, quod attinet ad cooperatores et ad pecuniam, exspectari potuit.³⁴ P. Dominicus, ut officium suum ad bonum effectum adduceret, multum operatus est varia proposita exhibens.³⁵

quae ad rem faciant in Corea diligenter inspectis, iam ad Europam revertitur, ut necessariis diligentias adhibitis ea, quae sunt huic pro operi necessaria suppeditanda colligat, prout fuit et suis Superioribus specialiter destinatus. Datum Seoul, sub signo sigilloque nostris, die 6 Augusti 1909.» - (Textus originaliter Latinus).

³⁴ Non diu post adventum Ottilianorum Gustavus Mutel epistulam ad Norbertum Weber scripsit, quā non solum gaudium suum magnum verbis exprimit, quod Benedictini ad cooperandum in Coream vēnērunt, sed etiam omnia, quae ibīdem facere possent, enumerat. Tamen expressis verbis scripsit haec: «*Ut incoharemus, ut segetem huius magnifici progressū huiusque messem animarum locupletem poneremus, nobis deerant et vires et subsidia materialia. Ut eadem comparentur, est itaque omnino res vestra.*» (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a, epistula die 15 m. Mart. a. 1909 data). - Textus originaliter Francogallicus.

³⁵ Praeter alia ex. gr. scriptis, quae typis impressa divulgabantur, lectores incitare conatus est, ut inceptum Coreanum pecuniā dandā sustentarent. Ad hoc genus etiam spectat libellus iam commemoratus «*De missione Benedictinorum in Corea*» (Dominikus ENSHOFF: Benediktinermission (1909) (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a)), ubi in fine (pp. 14 sqq.) de auxilio praebendo rogavit. Etiam saepius proposuit, ut variis locis orationes de Coreā coram auditoribus ficeret, quibus occasionibus relationes nectere, pecuniam colligere, fautores invenire voluit. - *Cfr* ex. gr. circularis epistula petitoria Dominici Enshoff atque circularis epistula commendatoria Consociationis popularis Germaniae catholicae die 19 m. Apr. a. 1910 data (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a). - Tamen aliud inceptum Dominici Enshoff ad pecuniam acquirendam non ita bene recipiebatur, imprimis non ab P.re Bonifatio Sauer. Nam Dominicus Enshoff societatem quaestuosam condere voluit, quā pecuniā sodalium adhibitā in Coreā agros ad oryzam colendam emere in animo habuit. Ex lucro inde capto non solum sodalibus illius societatis quaestuosa et pecuniam reddere et centesimas superadditas solvere, sed etiam Coreana aedifica atque instituta Benedictinorum sustentare voluit. Ex huiusmodi inceptis, quae P. Dominicus plura iam praeparaverat et quae P.ri Bonifatio variis ex causis plurimum displicerunt (etiam propter condiciones politicas in Coreā vigentes et Iaponum leges), magna dissensio inter Dominicum Enshoff et Bonifatiū Sauer exorta est. Denique Dominicus Enshoff inceptum suum retrahere coactus erat, quam repulsam diu aegre tulit (*cfr* ex. gr. epistula Dominici Enshoff die 28^o m. Oct. a. 1928^o data (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a)). Mirum autem est, quod Dominicus Enshoff talia incepta promulgaverit, cum ipse bene sciret Iaponibus regentibus in Coreā hominibus extraneis fundos vix emi licere (de his condicionibus iam scripserat in secundā suā relatione Coreanā: Dominikus ENSHOFF: 2. Bericht aus Korea, pp. 4 sq. (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a)). - *Cfr* Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), pp. 127 sqq., qui etiam locos ex diario Gustavi Mutel depromptos, quibus de hac re agitur, affert.

Fundo autem empto P. Bonifatius Sauer satis celeriter aream praeparandam curavit atque parvum monasteriolum aedificare coepit, ut locum haberet, in quo unā cum monachis venturis vitam Benedictinam instituere posset. Mense Octobri a. 1909ⁱ aedificium, quod in longitudinem viginti quinque metrorum atque in latitudinem novem metrorum extendebatur et ex solis pedeplanis constabat, confectum erat - saltem extrinsecus. Monasterio Coreano in urbe Seulo sito nomen Sancti Benedicti inditum est.



*Primum monasteriolum in urbe Seulo situm.
[Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 107.]*

Dum ipsas res aedificatorias curat, P. Bonifatius Sauer tamen alias quoque quaestiones respexit. Nam ex.gr. id facere coepit, quod per totam vitam reliquam necessario facere perrexit, nempe epistulas scribere, quibus instanter rogavit, ut Benedictino incepto Coreano auxilium pecuniarium praebere-tur. Sic iam mense Septembri a. 1909ⁱ publicam «appellationem» ad Germanos catholicos composuit.³⁶ Ibīdem fuse explicuit³⁷ non solum facta, quibus Ottiliani in Coream pervenissent, sed etiam condiciones, quas quoad Christianitatem invenissent et quae vigerent, quod attinebat ad scholas atque institutionem scholarem.³⁸ Argumentum iam ab Gustavo Mutel allatum attulit

³⁶ Bonifatius SAUER: Aufruf! (24.9.1909) (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b).

³⁷ Mirum revera est, quam longo scripto haec «appellatio» continetur (quinque paginæ manū scriptæ in archivō Ottiliensi asservantur). Certe hunc in modum conexū bene explicantur, sed quis talem «appellationem» prolixam usque ad finem perlegere solet.

³⁸ Cfr Bonifatius SAUER: Aufruf! (24.9.1909), pp. 2 sq. (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b). - Hōc in conexū īdem enumeravit, quot scholas Protestantes (imprimis) Americani iam condidissent. Tamen Bonifatio Sauer hōc locō mendum computandi irrepsit, cum scriberet Kal. Ian. a. 1909° fuisse 903 scholas Protestanticas, ex quibus 457 ab missione sustentarentur et 454, quae propriis subsidiis exstarent. Cum hi duo numeri addantur, 911 scholae computantur. Hōc solum commemoro, quia Dominikus

Coreanos valde vehementerque eruditionem scholarem desiderare, ut Iaponibus dominantibus aequiperarentur.³⁹ Cum autem magistri catholici deessent,⁴⁰ seminarium, quo tales magistri indigenae erudirentur, omnino atque urgenter necessarium esse. Praeterea etiam gymnasiis ad studia superiora instituenda atque aliis institutis eruditionis opus esse. Ad haec omnia incitanda, incohanda, efficienda Benedictinos ab episcopo vocatos esse.⁴¹ Tamen se muneribus suis tantummodo fungi posse, cum Germani catholici ex patriā auxilium pecuniarium ferrent.

Scitū autem dignae etiam sunt P.ris Bonifatii Sauer cogitationes, quas iam mense Iunio a. 1909ⁱ conscripsit atque in patriam direxit et quibus agitur de confratribus in Coream mittendis.⁴² Hōc in conexū magni momenti ei est - id quod statim in initio ut principium exhibit - tantummodo monachos vere bonos mittendos esse. Nam illi, qui in Coreā Ordinem Benedictinum representaturi sunt, tamquam exempla atque ectypa sint oportet, etiam sub aspectū, si quando fortasse patres atque fratres ex Coreā exoriundi in monasterium recipi possunt.⁴³ Tamen argumenta Bonifatii Sauer imprimis spectant ad scientiam, quam patres sibi acquirere debent (quantum fieri potest, iam antequam proficiscuntur). Praesertim diligenter atque intente linguam Corea-

ENSHOFF: Benediktinermission (1909), p. 10 (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a) non solum argumenta Bonifatii Sauer suscepit, sed etiam īdem mendum computandi exhibuit.

³⁹ Bonifatius SAUER: Aufruf! (24.9.1909), p. 2 (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b). - īdem autem hōc desiderium etiam inde exoriri explicat, quia Coreani animadverterunt Iapones ipsis mentaliter praestantiores imprimis eā de causā esse, quia eruditione scholari Europaeā fructi sunt. - īdem argumentum paene ad verbum ex scripto Bonifatii Sauer assumpsit Dominikus ENSHOFF: Benediktinermission (1909), p. 10 (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a).

⁴⁰ Bonifatius SAUER: Aufruf! (24.9.1909), p. 3 (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b) hōc in conexū monuit illo tempore etiam in catholicis scholis missionariis maximā ex parte Protestantes, paganos, partim pristinos subofficiarios Iapones munere magistrorum fungi.

⁴¹ Magni momenti mihi esse videtur, quod Bonifatius SAUER: Aufruf! (24.9.1909), p. 4 (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b) scripsit haec opera eruditionis Benedictinis ab episcopo Gustavo Mutel ut partem *laboris missionarii* tradita esse. Haec vero perceptio rei decursū temporis disputata esse videtur. - De hac quaestione *cfr* infra.

⁴² Bonifatius SAUER: Meine Ansichten über die nach Korea zu entsendenden Mitbrüder, ihre Vorbereitung, Studien etc. (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b).

⁴³ Hic non est scopus quidem principalis Bonifatii Sauer, sed possibilitas ei non omnino absona fuisse videtur.

nam discant oportet. Hoc videtur per se quidem intellegi, sed Bonifatius Sauer insistere solet, cum lingua Coreana sit difficilis atque subtilis atque eam discentes Europaei in alium cultum civilem immergantur. Cum autem sit ea lingua, quā patres discipulos suos variis in disciplinis docere debent, omnino necessarium est, ut eandem perfecte sciant.⁴⁴ Itaque scripsit non esse opportunum patres in Asiam mittere, qui iam plures quam triginta annos haberent,⁴⁵ cum aliter magnas difficultates in linguā addiscendā eis esset.⁴⁶ Praeterea ei necessaria esse videtur scientia linguae Anglicae, imprimis propter litteraturam didascalicam intellegendam. Bonifatium Sauer speciatim Benedictinorum labores in scholis ante oculos habuisse etiam apperet ex ultimo argumento, quo scripsit optandum esse, ut unusquisque pater in Coream mittendus in patriā iam cursum practicum docendi in aliquo seminario magistris destinato participaret. Itaque hōc scriptō demonstratur Bonifatium Sauer considerate scopum operis suscepti praeparavisse atque tractavisse.

Dum in Corea fundatio practice praeparatur, etiam abbas Norbertus Weber non erat desidiosus, quod ad inceptum Coreanum attinet. Nam unā ex parte de primis monachis emittendis cogitavit, qui Seuli cooperarentur atque vitam monasticam ibīdem constituerent. Itaque die 7^o m. Nov. a. 1909^o sollemniter ex abbatiā Ottiliensi emissi sunt P. Canisius Niebauer atque P. Andreas Eckardt et Fr. Paschalis Fangauer, Fr. Martinus Huber,⁴⁷ Fr. Ildefonsus Flötzinger, Fr. Columbanus Bauer,⁴⁸ qui in fine mensis Decembris a. 1909ⁱ in

⁴⁴ Ipse P. Bonifatius Sauer dicitur per totam vitam linguā Coreanā non nimis bene loqui scivisse, ut refert ex. gr. Godfrey SIEBER (2003), p. 352.

⁴⁵ P. Bonifatius Sauer ipse iam triginta duos annos habuit, cum in Coream veniret.

⁴⁶ Etiam fundamenta linguae Sinicae essent addiscenda postulavit. Scientiam linguae Iaponicae non ita necessariam esse scripsit, quamquam occasione esset utendum, cum possibilitas Iaponice discendi paeberetur. Ipse autem videtur satis bene Iaponice locutus esse.

⁴⁷ Fr. Martinus Huber in itinere in morbum incidit et iam die 26^o m. Ian. a. 1910^o in Coreā vīta functus est.

⁴⁸ Cfr Chron. Ottil. m. Nov. a. 1909; Dominikus ENSHOFF: Wie wir nach Korea kamen. In: Missionsblätter 15, 1911, p. 125; Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (1992), p. 224; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), p. 81; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 124, quibus in relationibus nomina missionariorum commemorantur. De solo facto ipso cfr Cyrillus WEHRMEISTER (1928), p. 167; Beda DANZER (1929), p. 37; Frumentius RENNER: Missionarisches Wirken. In: Leuchter IV (1993), p. 129; Johannes MAHR (2003), p. 129; Godfrey SIEBER: Bischof Sauer (2003), p. 351.

Coream advēnērunt.⁴⁹

Mense autem Decembri a. 1909^o abbas Norbertus Weber Romae versabatur, quā occasione die 7^o m. Dec. a. 1909^o audientiā privatā a papa Pio X receptus est.⁵⁰ Illo in colloquio agebatur praesertim de progressū in missionibus facto. Specialiter incepsum Coreanum illo tempore novum papae intererat, quod verbis approbationis adhortationisque laudavit⁵¹ et etiam modo scripto dedit «*omnibus benedictionem apostolicam in Domino, qui opus a missionariis Benedictinis noviter susceptam adiuvant ac promovent.*»⁵²

Haec agnitio papalis non erat nullius momenti. Nam paucis diebus post Norbertus Weber colloquium quoque habuit cum cardinali Antonio Gotti, Praefecto Congregationis de Propaganda Fide, quo in colloquio Praefectus quoque significavit incepsum Coreanum suā magnopere interesse. Itaque - ut refert Norbertus Weber⁵³ - abbatis rogatio, ut nova fundatio in modum Prioratū canonice erigeretur, statim concessa est.

Res revera celerrime peracta est et difficultates obstantes sine haestitatione superatae sunt. Nam ad prioratum conventualem erigendum necessarium erat, ut minimum octo patres cum votis sollemnibus in monasterio, de quo

⁴⁹ Iam Kal. Nov. a. 1909^o epistulam circularem ad episcopos intra Germaniam et extra eandem residentes scripserat (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a), quā de novo munere ab Congregatione Ottiliensi suscepto, de eius scopo primario (nempe catholicos magistros indigenas erudiendi) atque de initio incepti rettulerat. In archivō Ottiliensi etiam plures epistulae gratulatoriae asservantur (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b), quibus episcopi variarum regionum gaudium de hōc initio verbis expresserunt.

⁵⁰ Cfr Norberti Weber protocollum huius audientiae diei 7 m. Dec. a. 1909 (ASO, A.1.8.1). - Audientiam etiam commemorant Dominikus ENSHOFF: Wie wir nach Korea kamen. In: Missionsblätter 15, 1911, p. 127; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 82.

⁵¹ Ut ex relatione Norberti Weber apparent, papa etiam interrogavit, num Congregatio Ottiliensis satis hominum atque pecuniae ad tale opus magnum efficiendum haberet. Norbertus Weber responderat se quidem sollicitum esse, sed Deum ipsos adiuturum esse, cum volutate Dei ecclesia ipsis hōc opus novum tradidisset. Cui responso papa vivaciter assensus est (cfr Norberti Weber protocollum audientiae (7.12.1909), p. 1 (ASO, A.1.8.1). - Talia legens non possum, quin paululum subrideam. Nam papa de indigentia pecuniae cooperatorumque quidem interrogavit, sed gavisus esse videtur, quod Norbertus Weber nihil postulavit. Alterā ex parte abbas, qui revera magnā penuriā premebatur, quamvis interrogatus nihil postulare ausus est fortasse bene sciens se nihil accepturum esse.

⁵² Norberti Weber protocollum audientiae (7.12.1909), p. 2 (ASO, A.1.8.1). - Verba papae originaliter Latina.

⁵³ Norberti Weber protocollum audientiae (7.12.1909), p. 2 (ASO, A.1.8.1).

agebatur, viverent. Sed ad monasteriolum Seulense tunc temporis unā cum illis, qui adhuc in itinere erant, tantum tres patres numerabantur (quamquam plures mittendos abbas iam promiserat). Itaque dispensatio ab hac regulā erat roganda. Norbertus Weber talem dispensationem statim petivit,⁵⁴ quam Congregatio Religiosorum iam die 11^o m. Dec. a. 1909^o ei concessit.⁵⁵ Monasterium ergo Seulense die 15^o m. Dec. a. 1909^o in Prioratum evectum est,⁵⁶

⁵⁴ Cfr Petilio Norberti Weber (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b): «*Abbas Superior Generalis Congreg. Ottiliensis O.S.B. humillime exponit S.V. quatenus ipsa Congregatio, vocata ab Apostolico Vicario Coreano ad erigendas scholas in oppido Seoul, ibi Monasterium sat amplum Benedictinum instruxerit, in quo modo tres Patres et quattuor laici degunt, qui numerus intra annum augebitur quidem, non tamen ita ut ad Prioratum vel Abbatiam erigendam requiritur, ad normam Constitutionum Ordinis. Attenta vero peculiari conditione [-dic-] rerum in huiusmodi Missionum Provincia, nec non magno incremento, quod providetur operis feliciter incepti, si monasterium ad dignitatem Prioratus evehatur, accedente etiam beneplacito Rmi Vicarii Apostolici, Orator humillime petit opportunam dispensationem super praescriptio Religiosorum numero, ut fundatio in oppido Seoul in Prioratum erigi possit.*» - Textus originaliter Latinus.

⁵⁵ Cfr Dispensatio Congregationis Religiosorum die 11^o m. dec. a. 1909^o data (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b): «*Vigore specialium facultatum a Ssmo Domino Nostro concessarum, S. Congr. negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, attentis expositis auditaque relatione R.mi P. Abbatis Primatis O.S.B., Eidem benigne commisit, ut petitam facultatem deveniendi de consensu et intelligentia Vicarii Ap.lici Coreani ad enuntiatam prioratus fundationem, cum dispensatione super praescriptio religiosorum numero, pro suo arbitrio et conscientia concedat, dummodo tamen reliqua omnia habeantur, quae de iure requiruntur.*» - Textus originaliter Latinus.

⁵⁶ Cfr Johannes MAHR (2003), p. 129; Godfrey SIEBER (1992), p. 35; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), pp. 123 sq. Generaliter de Prioratū erecto sine indicio diei cfr Suso BRECHTER: Mönch und Missionar. Erzabt Norbert Weber OSB zum Gedächtnis. In: Die Katholischen Missionen 75, 1956, p. 115; Chrysostomus SCHMID: Erzabt Weber. In: Benediktinische Monatsschrift 32, 1956, p. 220 (cfr Chrysostomus SCHMID: Ansprache, p. 3 (ASO, A.1.8.1)); Cyrillus WEHRMEISTER (1928), p. 167; Cyrillus WEHRMEISTER (1939), p. 100; Leander BOPP (1952), p. 71; Placidus BERGER: Abtei Seoul. In: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 91. - Cum in documentis legatur dispensationem die 11^o m. Dec. 1909^o erectum esse et Prioratum die 15^o m. Dec. a. 1909^o erectum esse, non satis bene intellegitur, cur diem erectionis fuisse 13^{um} m. Dec. a. 1909^o indicent Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (21992), p. 224 (qui adn. 3 tamen dies documentorum recte exhibet); Frumentius RENNER: Kongregation (1984), p. 37; Godfrey SIEBER: Bischof Sauer (2003), p. 352; Frumentius RENNER: Missionarisches Wirken. In: Leuchter IV (1993), p. 129; Ivo AUF DER MAUR: Korea-nische Benediktinermönche. In: Neue Zeitschrift für Missionswissenschaft 37, 1981, p. 85; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BER-

quo die Abbas Primas scripsit haec:⁵⁷ «*Nos, Hildebrandus de Hemptinne, Abbas Primas O.S.B., vigore specialium facultatum a S. Congregatione negotiis Religiosorum Sodalium praeposita per annexum rescriptum acceptarum, monasterium in oppido Seoul in Corea nuperrime fundatum, Congregationis Ottiliensis O.S.B., hisce litteris in Prioratum canonice erigimus et erectum declaramus, dispensantes super praescripto religiosorum numero, de consensu tamen et intelligentia Vicarii Apostolici Coreani et dummodo reliqua omnia habeantur, quae de iure requiruntur.*» - Primus autem Prior huius novi Prioratū ab abbe Norberto Weber instituebatur - uti exspectandum erat - P. Bonifatius Sauer.

In Seulensis monasterioli aedificium confectum P. Bonifatius Sauer die 6^o m. Dec. a. 1909^o transmigravit, ubi per paucas septimanas solus habitavit, antequam die 28^o m. Dec. a. 1909^o primi confratres Ottiliani advēnērunt.⁵⁸

Deinde magna actuositas in areā monasteriali incohata est. Nam unā ex parte fratres terram ad agriculturam atque pomiculturam praeparare coeperunt, quibus satis celeriter non solum ipsi monachi victum suum complere valuerunt, sed etiam accepta quaedam pecuniaria acquiri potuerunt.⁵⁹ Praeterea in areā prioratū opificinae exoriebantur, ex quibus prima erat opicina lignaria, cui Fr. Ildefonsus Flötzinger praeerat et quae in initio satis provisoria erat. Tamen eādem iam iuvenes Coreani attrahebantur. Sed decursū anni

GER (edd.): Hwan Gab (1973), p. 81.

⁵⁷ Documentum Hildebrandi de Hemptinne die 15 m. Dec. 1909 datum (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b). - Textus originaliter Latinus.

Assensionem necessariam Gustavus Mutel die 8^o m. Ian. a. 1910^o, postquam nuntius de Prioratū erecto usque ad Coream pervenit, praebuit hōc documento: «*Nos Gustavus Carolus Maria Mutel Ep.us tit. Milen. necnon Vicarius Apostolicus Coreae, de canonica in Prioratum erectione Monasterii nuper in Urbe Seoul a Congregatione Ottiliensi O.S.B. in honorem S. Benedicti fundati, tum causas dispensationis super praescripto religiosorum numero, tum rescriptum S. Congregationis negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, tum decretum R.mi Primatis Abbatis O.S.B. super hac erectione probe intelligentes libenter assentimur, ut eiusmodi decretum plenum effectum suum sortitur et praelaudatum Monasterium S. Benedicti in Prioratum conventualem erigatur et erectum reputetur.*» (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b). - Textus originaliter Latinus.

⁵⁸ Episcopus Gutsavus Mutel novum conventum iam in initio mensis Ianuarii a. 1910ⁱ visitavit.

⁵⁹ Cfr Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (1992), p. 225; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), pp. 132 sqq.

1910ⁱ etiam aliae opificinae simili effectū instituebantur.⁶⁰ Ita putabatur «schola opificum» paulo post institui posse. Sed iam illo tempore audiebatur



Lignaria opicina provisoria.
[Johannes MAHR: *Aufgehobene Häuser I* (2009), p. 125.]

adhuc exspectandum esse, quod ad alias scholas attinebat. Tamen impetus aedificandi etiam manifestabatur in eo, quod iam anno 1910^o frigoribus finitis post aedificium «monasterioli» fundus complanabatur, quo in loco ipsum monasterium magnum constitueretur. In fine autem anni 1910ⁱ opera incohata sunt, quibus ipsum aedificium exstrueretur, quod in longitudinem quadraginta metrorum atque in latitudinem decem metrorum extendebatur. Provisum vero erat aedificium duorum tabulatorum.⁶¹

Sed quid de illā re, propter quam Benedictini in Coream vocati sunt, id est de scholis? In epistulā, quam episcopus Gustavus Mutel die 15^o m. Mart. a. 1909^o ad abbatem Norbertum Weber direxerat, de munere lato omniaque complectente locutus est, quod Ottiliani in urbe Seulo suscipere possent, et

⁶⁰ Cfr Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), p. 226; Frumentius RENNER: Missionarisches Wirken. In: Leuchter IV (1993), p. 129; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), pp. 81 sq.; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), pp. 131, 142.

⁶¹ Cfr Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), pp. 131 sq.; Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), p. 226; Frumentius RENNER: Missionarisches Wirken. In: Leuchter IV (1993), p. 129.

plures possibilitates enumeravit, nempe eruditionem magistrorum pro scholis catholicis, eruditionem monachorum sacerdotumque indigenarum, institutio-



Seulense monasterium Sancti Benedicti in statu aedificandi.
[Johannes MAHR: *Aufgehobene Häuser I* (2009), p. 133.]

nem scholarem medium superioremque, scholam opificibus agriculturaeque destinatam, curam societatum catholicarum.⁶²

Revera operandi campus latissimus ibi describitur. Tamen videntur ex his possibilitatibus solum duo officia vere provisa fuisse, id est seminarium ad futuros magistros erudiendos et schola opificibus destinata,⁶³ quamquam Ottiliani satis celeriter etiam de gymnasio quodam instituendo cogitaverunt. Progrediendi autem modus Bonifatii Sauer erat talis, quo primum vitam monasticam plene instituere in animo habuit - etiam aedificiis confectis - et deinde in seminarium magistrorum instituendum incumbere voluit. Quamvis pecunia ei paulatim defuisset, ut aedifica scholaria decursū anni 1910ⁱ conficienda curaret, illo tempore adhuc putavit se fortasse in fine anni 1910ⁱ

⁶² Cfr Gustavi Mutel epistula die 15 m. Mart. a. 1909 ad Norbertum Weber directa (ASO, Z.1.Asien: Soeul 1909-1927 a).

⁶³ Sic Bonifatius Sauer condicionem explicat in relatione suā die 27^o m. Oct. a. 1928^o scriptā (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a), ubi praeterea subiunxit tantummodo seminarium magistrorum contractū fuisse obligatorium, scholam opificum vero fuisse Ottilianorum rem voluntariam.

scholam instaurare posse.⁶⁴ Sed tunc in rebus politicis aliquid accidit, quod fortasse aliquatenus praevideri potuerat, sed quo tamen toti consilio praedeliberato fundationis Coreanae periculum imminebat. Nam mense Maio anni 1910ⁱ Terauchi Masatake Iapo factus est novus gubernator generalis Coreae atque mense Augusto a. 1910ⁱ idem atque Coreanus minister primarius Yi Wanyong protocollum subscripserunt, quo Corea ut provincia Iaponiae annexebatur et Coreae imperator Sunjong munere se abdicavit.⁶⁵ Una ex pluribus sequelis huius facti erat in eo, quod Iaponica administratio in Coreā res educatorias scholaresque solā dirigere ac nullas alias scholas ac publicas habere voluit. Nam scopus Iaponum erat in eo, ut Coreanos reddere vellent Iapones, id quod facilius ab unguibus educatione scholari fieri potuit. Inde etiam difficultates provēnērunt, quae in Benedictinorum novo seminario gymnasioque instituendis exortae sunt, quia Iaponibus ex.gr. inopportunum erat eruditionem magistrorum in manibus extraneorum esse.⁶⁶

Bonifatius Sauer itaque hac in re non iam quicquam facere valuit et consilia sua ad scholas spectantia differre debuit, saltem ea, quae ad scholas superiores spectabant. Nam spes quaedam ei erat, quam traxit ex condicione, quā Iapones illo tempore imprimis non satis magistrorum habuerant, quibus omnes scholae elementariae necessariae sustentari potuerunt. Hac condicione esse utendum putavit, ut saltem proximis decem annis missionariae scholae elementariae fundamentum non solum eruditionis, sed etiam fidei Christianae ponerent. Tamen magnus effectus, qui statim exseri posset, secundum eius sententiam situs erat in schola opificum (quae minimis initii in lignariā commemoratā iam incohata erat).⁶⁷

⁶⁴ Cfr Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 142.

⁶⁵ Cfr ex. gr. Mation EGGERT / Jörg PLASSEN (2005), pp. 125 sqq.; Bruno LEWIN (1964), p. 236; Young-Ho PARK (1979), pp. 94 sqq.; Gottfried-Karl KINDERMANN (2005), pp. 59 sqq.; Hilary CONROY (1960), pp. 435 sqq.; Peter DUUS (1995), pp. 240 sqq.

⁶⁶ De his problematis, quibus fundatio scholarum afficiebatur, solum agunt breviter Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (1992), p. 226; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), p. 84, et fusius Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), pp. 144 sqq.

⁶⁷ Hae deliberationes atque condicionum diiudicatio apparent in epistulā, quam P. Bonifatius Sauer die 9^o m. Nov. a. 1910^o ad redactorem alicuius periodici (suspicandum est agi de periodico, cui titulus est «Misiones catholicae» [«Die Katholischen Missionen»]) misit et cuius textum Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), pp. 150 sq. exhibet.

4.6.2. De abbatis itinere Coreano eiusque effectu

Seminarium magistrorum ergo his condicionibus vigentibus nondum incohari potuit.⁶⁸ P. Bonifatius Sauer certe haec problemata cum abbe superiore que generali Norberto Weber communicavit, cum de hac re multa dependent.⁶⁹ Cum Norbertus Weber itaque de sorte novae fundationis sollicitus esset, his curis instigatus condiciones in ipso loco inspicere deque eis dijudicare decrevit.⁷⁰

⁶⁸ Die 18^o m. Ian. a. 1911^o (illo tempore Norbertus Weber iam in itinere erat) P. Dominicus Enshoff «scriptum monitorium» misit (Dominikus ENSHOFF: Über den Schulbeginn in Corea (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b), quo querebatur in urbe Seulo monasterium exstrui, sed de seminario magistrorum usque tunc nihil conspici. Secundum eius sententiam illud seminarium (unā cum oecotrophēo catholico) si tardissime iam Kal. Apr. a. 1910^o incohari potuisse. Quaedam argumenta ad opinionem suam fundandam idem attulit. Putavit enim unā ex parte satis pecuniae et satis temporis ad aedificandum adfuisse (p. 2), alterā ex parte etiam magistros ad manum fuisse, cum praeter P.rem Bonifatium, qui iam adfuisse, etiam P. Andreas et P. Cassianus in fine anni 1909ⁱ advenissent. Facile enim, ut putavit Dominicus Enshoff, illi intra tres menses tantum linguae Coreanae discere potuissent, ut institutionem scholarem praeberent (p. 2). Hac in re Dominicus Enshoff aliquatenus superficialiter iudicare videtur, cum lingua Coreana Europaeis sit satis intricata et - ut iam Bonifatius Sauer adnotaverat - optima scientia alicuius lingua necessaria sit, ut eādem adhibitā doceatur. - Praeterea Dominicus Enshoff existimat praeter patres Ottilianos etiam alios magistros aptos adfuisse, nempe missionarios Francogallos, sacerdotes Coreanos, quosdam homines laicos (pp. 2 sq.). Sed etiam his in propositis idem non vidiit missionarios Francogallos propter alios labores satis multos ad talia opera acquiri non potuisse (aliter Benedictini non fuissent vocati) et insuper, quod attinet ad homines laicos, P.rem Bonifatium non unumquemque ut magistrum adhibere voluisse. - Cum autem magistri pro scholis Coreanis tam necessarii essent, P. Dominicus in fine postulavit, ut seminarium magistrorum sub omnibus condicionibus si tardissime Kal. Apr. a. 1911^o incohandum esset (p. 4). - Generaliter autem de hōc scripto dicendum est P.rem Dominicum Enshoff argumentis suis unā ex parte aliam perceptionem missionariam, quae in Corea vigeret, non respexisse, alterā ex parte condiciones politicas, quibus initium seminarii retardabatur, perspectas non habuisse. - De hac epistulā Dominici Enshoff breviter etiam Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 144.

⁶⁹ Hoc commercium epistulare illius temporis videtur pro dolor non iam exstare.

⁷⁰ Causa itineris Coreani Norbertus Weber tantummodo adumbravit, cum in prooemio libri sui, cui titulus est «In terra quietis matutinae» (Norbert WEBER: Im Lande der Morgenstille. Freiburg / München 1915, p. VII) primā sententiā scriberet haec: «*Curā urgente nostri operis missionarii in Coreā in initio anni 1911ⁱ in altum mare agebar.*» (Textus originaliter Theodiscus). - Similiter leguntur in epistulā circulari, quam Norbertus Weber ante inter Coreanum die 11^o m. Dec. a. 1910^o ad omnes monachos

Norbertus Weber ergo primum iter suum Coreanum suscepit.⁷¹ Die 7^o m. Ian. a. 1911^o ex abbatiā Otteliensi profectus est⁷² P.re Placido Vogel, Priore monasterii Sancti Ludovici comitante.⁷³ Secum autem sumpsit novos missionarios Coreae destinatos, qui die 6^o m. Ian. a. 1911^o officialiter emissi erant et qui erant P. Callistus Hiemer Otteliensis atque P. Canisius Kügelgen Swikkiersperchiensis et Fr. Marcus Metzger, Fr. Iosephus Grahamer, Fr. Hilarius Hoiss Ottelienses et Fr. Petrus Gernert ex monasterio Sancti Ludovici.⁷⁴

Grex itinerantium usque Genuam vectus est, ubi Ottiliani die 12^o m. Ian. a. 1911^o navem ascenderunt et per canalem Suesiensem navigantes Asiam

Ottilianos direxit, cum alia tum haec (p. 2): «*Condiciones ferunt, ut primo in Coream mihi eundum est, ubi P. Bonifatius desiderantissime atque urgentissime exoptat, ut adsim.*» (Photocopia ex archivo Suarzacensi). - Textus originaliter Theodiscus. - His brevibus adnotationibus manifestatur causam itineris seriam fuisse neque praesertim in desiderio regionis visendi constitisse.

⁷¹ De itinere breviter Frumentius RENNER: Norbert Weber. In: Adolf LAYER (ed.) (1976), p. 339; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), p. 22; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 82; Johannes MAHR (2003), p. 132; Beda DANZER (1929), p. 37; Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), p. 226; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), p. 82; Frumentius RENNER: Missionarisches Wirken. In: Leuchter IV (1993), p. 129, qui falso annum 1912^{um} indicat. - De itinere eiusque scopo fusius Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), pp. 152 sqq.

⁷² Cfr Chron. Otil. m. Ian. a. 1911; Missionsblätter 15, 1911, p. 139; Norbert WEBER: Reisetagebuch Korea 1911 (1), p. 1 (ASO, A.1.8.1) [Norberti Weber diarium itinerarium originaliter stenographice conscriptum erat. Exstat autem in archivo Otteliensi transcriptio typographica. Videtur vero Norbertus Weber quattuor libellos complevisse, sed libellus secundus pro dolor videtur perditus esse.]. - De die profectionis cfr etiam Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), p. 22; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), p. 82. - Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 152 per errorem refert novos missionarios Coreanos unā cum Norberto Weber mense Octobri a. 1910ⁱ in Coream vectos esse.

⁷³ Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 152 recte - ut puto - suspicatur Norbertum Weber consulto P.rem Placidum Vogel comitem secum sumpsisse, ut idem experientiam quandam missionariam perciperet et imprimis videret, quomodo novum monasterium conderetur. - De progressū Prioratū Sancti Ludovici cfr infra cap. 4.7.2.1.1.

⁷⁴ Cfr Chron. Otil. m. Ian. a. 1911; Missionsblätter 15, 1911, p. 140; Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), p. 226; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), p. 82; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 155.

petiverunt. Die autem 28^o m. Ian. a. 1911^o ad Columbum urbem principalem Ceilani sive Tabrobanis⁷⁵ appulerunt, deinde Singapuram, Hongcongum, Sanghaevum⁷⁶ attingentes⁷⁷ die 18^o m. Febr. a. 1911^o ad urbem Kobe in Iaponiā sitam appulerunt.⁷⁸ In portū Kobe tamen navis mutanda erat, quia illo tempore iter directum in Coream fieri non potuit. P. Bonifatius Sauer ex urbe Seulo advenerat, ut abbatem atque confratres iam in illo portū Iaponico reciperet. Voluerat quidem īdem cum hospitibus per nonnullos dies iter per Iaponiam facere, sed Norbertus Weber iter suum in Coream statim continuare desiderabat.⁷⁹ Nam ibīdem problemata solvenda eum exspectabant, quae fuerant primaria causa itineris sui.⁸⁰

Die 21^o m. Febr. a. 1911^o (ergo sex semis septimanis post profectionem) sub vesperum Ottiliani unā cum P.re Bonifatio Sauer ad urbem Seulum atque monasterium Sancti Benedicti advēnērunt.⁸¹ Iam die 22^o m. Febr. a. 1911^o abbas Norbertus Weber episcopum Gustavum Mutel atque Germanum consulem generalem D.rem Krüger visitavit.⁸² Quod iam primo die commorationis suae illos duos viros adiit, fortasse non solum cohaerebat cum bonis moribus atque obligationibus officialibus, sed etiam cum colloquiis, quibus de difficultatibus ad scholas spectantibus agebatur. Nihilominus illi, qui quōque extranei erant, auxilium ferre non valuerunt.

⁷⁵ Ceilanum sive Taprobane: *Ceylon*.

⁷⁶ Sanghaevum: *Shanghai*.

⁷⁷ Cfr Norbert WEBER: Reisetagebuch Korea 1911 (1), pp. 44 sqq. (ASO, A.1.8.1). - Omnibus his locis occasio erat itinerantibus, quā urbes regionesque saltem breviter inspicerent. Inde ab Singapurā, quā in urbe die 3^o m. Febr. a. 1911^o versabantur, Ottiliani ab missionariis Francogallis «Missionum exterarum», qui illis in locis stationes iam habuerunt, benigne atque affabiliter recepti sunt.

⁷⁸ Cfr Norbert WEBER: Reisetagebuch Korea 1911 (1), p. 117 (ASO, A.1.8.1); Norbert WEBER: Im Lande der Morgenstille (1915), pp. 6 sq.

⁷⁹ Cfr Norbert WEBER: Im Lande der Morgenstille (1915), p. 8; Norbert WEBER: Reisetagebuch Korea 1911 (1), p. 118 (ASO, A.1.8.1). - Ceterum die 18^o m. Febr. a. 1911^o primus libellus diarii finitur.

⁸⁰ Sic etiam Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 152.

⁸¹ Cfr Norbert WEBER: Im Lande der Morgenstille (1915), pp. 44 sq. - Frumentius RENNEN: Berufung. In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), p. 226; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 155; Johannes MAHR (2003), p. 132 indicant diem adventū fuisse 22^{um} m. Febr. a. 1911^o, verisimiliter eā de causā, quia fuit primus dies, quo Norbertus Weber in Corea aliquid agere coepit.

⁸² Cfr Norbert WEBER: Im Lande der Morgenstille (1915), p. 47.

Tempore autem, quo Norbertus Weber in Coreā commorabatur, variis modis natus est. Venerat enim etiam eā de causā, ut in modum visitationis canon-



Norbertus Weber (in medio sedens) cum conventu monasterii Seulensis.
[Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 154.]

cae monasterium, monachorum modum vivendi laborandique atque opera usque tunc effecta inviseret.⁸³


Nihilominus, ut condiciones illius regionis, in quā Ottiliani tunc recenter operabantur, melius cognosceret, Norbertus Weber plures excusiones et breviores in ipsā urbe eiusque circumiectis et longiores per totam regionem Coreanam suscepit.⁸⁴ Ea, quae illis in itineribus interdum non facilibus percepit atque expertus est, īdem plurima ex diario suo itinerario de-

⁸³ Norbertum Weber non ad delectamentum suum vēnisse etiam appareat ex variis sententiis, quas in libro suo, c.t. «*In terra quietis matutinae*», exhibet, quibus ex. gr. scripsit se inter diem 25^{um} m. Febr. a. 1911^o et diem 4^{um} m. Mart. a. 1911^o propter labores urgentes in monasterio retentum fuisse (cfr Norbert WEBER: Im Lande der Morgenstille (1915), p. 80) vel sibi die 14^o m. Mart. a. 1911^o «*propter magnam copiam laborum, quam ante absentiam longam conficere debuisset*», domi manendum fuisse (cfr Norbert WEBER: Im Lande der Morgenstille (1915), p. 120). - Officialem relationem visitationis Norbertus Weber monachis die 23^o m. Iun. a. 1911^o praelegit, ut ex chronicis Coreanis apparat (locum affert Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 165). Tamen ipse textus huius relationis videtur non iam exstare.

⁸⁴ Die 24^o m. Mart. a. 1911^o Norbertus Weber cum comite suo ad primam excursionem longiorem in regionem Coreanam profectus est. Illo autem die tertius libellus diarii (secundo amisso) incohatur. Quartus vero libellus incohatur die 6^o m. Maii a. 1911^o.

promens⁸⁵ post redditum divulgavit anno 1915^o librum edens, cui titulus Theodiscus est «*Im Lande der Morgenstille*». Ille liber deinde plurimum laudabatur, quia auctori descriptionibus suis, quibus multae delineationes multaque photographemata inserta sunt, contigit, ut veterem cultum civilem Coreanum, qui iamiam periturus erat, scripto suo asservare atque tradere valuit.⁸⁶

Ipse autem bene scivit se quasi ultimo temporis momento advenisse, quo res condicionesque videbat, quae interitui destinatae erant.⁸⁷ Sed in libro suo non solum ea, quae viderat, descripsit, sed etiam conexūs historicos explicuit, deliberationes suas inseruit et - quod est magni momenti - plures annotationes criticas exhibuit, quae ad condicionem Coreae ut provinciam Iaponicam et ad sequelas inde exoriundas spectabant.⁸⁸



*Frontispicium libri, quo agitur
de abbatis primo itinere Coreano.*

⁸⁵ Ut Norbertus Weber in prooemio (p. VIII) explicuit, in libro modum diarii secutus est. Tamen textum diarii non ad verbum descripsit.

⁸⁶ Cfr Cyrill SCHÄFER (2005), p. 84 et adn. 155; Frumentius RENNER: Norbert Weber. In: Adolf LAYER (ed.) (1976, p. 339; Frumentius RENNER: Missionarisches Wirken. In: Leuchter IV (1993), pp. 129, 133; Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (1992), p. 226; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (19973, p. 82; Johannes MAHR (2003), p. 132. - Liber vero tam magni aestimabatur, ut anno 1923^o secunda editio exhiberetur paucis locis modificatis, sed ultimum capitulum novo textū substitutum erat.

⁸⁷ Cfr Norbert WEBER: *Im Lande der Morgenstille* (1915), p. VIII.

⁸⁸ Sic ex. gr. scripsit Coream ultimis annis cuiusvis genus libertatis amisisse atque, ut in imperio Iaponico dissolveretur, damnatam esse (p. VIII), Coream vero esse terram occupatam Coreanosque esse populum subiugatum (p. 38). Animadvertisit autem plurimos Iapones in Coream immigravisse, qui optimis in locis consedissent, quā de causā Coreani inde amoverentur. Ultimam sequelam huiusmodi condicionis esse in eo, ut proprietates populi Coreani disparerent atque lingua Coreana dissolveretur, cum praeterea Iapones nullo modo indigenas respicerent (p. 292). Compluries autem dixit

Kalendis Iuniis a. 1911^o Norbertus Weber ex excursionibus in regiones Coreanas factis in urbem Seulum revertit. Sed causa magni momenti, cur in Coream vēnisset, nondum ad finem quendam perducta erat. Itaque, cum Norbertus Weber ipse cum supremis administratoribus disserere vellet, die 8^o m. Iun. a. 1911^o unā cum Germano consule generali D.re Krüger abbas Ottiliensis gubernatorem generalem Coreae Terauchi Iaponem audientiā praebitā adiit.⁸⁹ De illo colloquio Norbertus Weber textibus typis impressis satis fuse rettulit,⁹⁰ etiamsi ipsum problema, nempe seminarium magistrorum, in relatione suā non commemorat. Tamen quaedam subaudiuntur, praesertim in primo textū divulgato.

Comperimus autem in colloquio actum esse de munere culturali, quod in Corea efficiendum esset.⁹¹ Hoc significat generaliter agi de scholis, etiamsi uterque de aliis rebus etiam necessariis certe opinionem diversam habuit. Ceterum Norbertus Weber commemoravit Iaponiam multum pecuniae in

Coreanos cum Iaponibus vivere neque velle neque posse (ex. gr. p. 50, p. 134). Iapones vero cavere, ne impetum, quo Coream sibi arripiissent, occupationem vel Coream provinciam appellarent. Régimen Iaponicum quidem assimilationem Coreanorum velle, sed neque Coreanos neque Iapones hoc velle (p. 123). Ceterum putavit, quia in urbe Seulo Coreani ex regione ecclesiae cathedralis paulatim depellerentur, in futurum regionem monasterii Sancti Benedicti fore congregandi locum imprimis pro Coreanis Christianis (p. 50). Ultima autem sententia, quae ad ipsum iter spectat, est haec (p. 417): «*Sensus mihi est tamquam ex pompā funeris domum pervenisse, qua populus quidam sepeliretur.*» (Textus originaliter Theodiscus).

⁸⁹ Suspicandum est illos iam pridem rogavisse, ut tale colloquium fieri posset. Nam aditus ad supremos administratores neque facile neque celeriter praeberi solebat. Aliter etiam non bene intellegitur, cur Norbertus Weber occasionem cum gubernatore colloquendi tam diu procrastinaverit.

⁹⁰ Cfr Brief des Hochw. Herrn Abtes Norbert Weber aus Seoul. In: Missionsblätter 16, 1911/12, pp. 10 sqq.; Norbert WEBER: Im Lande der Morgenstille (1915), pp. 406 sqq. - In librum autem textus symbolae receptus est, tamen ibīdem paulum mutatur et quaedam sententiae non exhibentur. - Ceterum valde dolendum et quadamtenus mirum est, quod quartus libellus diurnarii itinerarii Kalendis Iuniis a. 1911ⁱ finitur. Itaque notitiae privatae Norberti Weber de audientiā apud gubernatorem non exstant, ex quibus fortasse plura comperi potuissent, quae scilicet in libro vel symbola non divulgata sunt. - Sed revera mirum est, quod in diario post Kalendas Iunias non iam quicquam sequitur, cum Norbertus Weber demum die 24^o m. Iun. a. 1911^o ex Coreā profectus sit atque omnia diligenter notare solitus sit. Cum autem iter suum in Africam continuaverit, interrogandum est, num sive reliquae paginae libelli quarti diarri amissae sint sive libellus quintus extiterit, qui etiam disparuit (sicut secundus).

⁹¹ Cfr Norbert WEBER: Im Lande der Morgenstille (1915), p. 407.

Coreā erogare, non solum ex causis culturalibus, sed imprimis eā de causā, quia Iapones in Coreā, quā superabundantia civium Iaponum reciperetur, bene atque etiam strategice se instituere vellent.⁹² Coreae gubernator Terauchi videtur etiam perceptionem suam generalem de regione administrandā exhibuisse. Nam praeter alia dixit se id studere, ut Coreae veterem cultum civilem, quantum fieri posset, reficeret atque resuscitaret.⁹³ Illi autem, qui librum, cui titulus «In terra quietis matutinae», diligenter atque attente legerunt, certe ea recordati sunt, quae Norbertus Weber de condicionibus valentibus atque de scopo assimilationis critice adnotaverat.⁹⁴ - Ad ipsam rem pervenientes gubernator Terauchi cooperationem missionis in opere culturali valde probavisse dicitur, etiamsi - ut abbas benigne subiunxit - ei opprobrio dari non potest eum, cum esset Iapo, scopos Iaponicos omnimodo sequeretur.⁹⁵ Tamen gubernatoris maxime intererat schola opificibus destinata, quam Benedictini instituerant,⁹⁶ cum hunc in modum in salutem civitatis operarentur.⁹⁷ Sed perceptionem, quam gubernator et abbas de salute civitatis habebant, esse quadamtenus diversam, explicationibus in primo textū exhibitis appareat. Nam ibidem Norbertus Weber scripsit gubernatorem tantummodo aspectum materialem atque effectum oeconomicum videre,⁹⁸ sed Benedictinos imprimis alios scopos habere, nempe unā ex parte scilicet spirituales, alterā ex parte tales, quibus Coreani Christiani, qui maximā ex parte in miseriā viverent, tali instructione iterum bonum fundamentum oeconomicum sibi acquirere atque insimul Christianitati Coreanae novum fulmentum praebere possent.⁹⁹ - Praeterea Norbertus Weber rettulit gubernatorem

⁹² Cfr Norbert WEBER: Brief. In: *Missionsblätter* 16, 1911/12, p. 12.

⁹³ Cfr Norbert WEBER: Brief. In: *Missionsblätter* 16, 1911/12, p. 13; Norbert WEBER: *Im Lande der Morgenstille* (1915), p. 408.

⁹⁴ Cfr supra adn. 88.

⁹⁵ Cfr Norbert WEBER: Brief. In: *Missionsblätter* 16, 1911/12, p. 14; Norbert WEBER: *Im Lande der Morgenstille* (1915), p. 409.

⁹⁶ Cfr Norbert WEBER: Brief. In: *Missionsblätter* 16, 1911/12, p. 14; Norbert WEBER: *Im Lande der Morgenstille* (1915), p. 409.

⁹⁷ Cfr Norbert WEBER: Brief. In: *Missionsblätter* 16, 1911/12, p. 16; Norbert WEBER: *Im Lande der Morgenstille* (1915), p. 410.

⁹⁸ Et subauditur Iapones bonos operarios sibi aptos desideravisse.

⁹⁹ Cfr Norbert WEBER: Brief. In: *Missionsblätter* 16, 1911/12, p. 16. - Ceterum alio in conexū Norbertus Weber similem sententiam protulit dicens populum Coreanum esse pauperem et inter pauperes esse Christianos pauperrimos. Scholam opificibus destinatam Christianis itaque esse solutionem quaestionis vitalis (cfr Norbert WEBER:

Terauchi scholas superiores in Coreā (id est pro Coreanis) noluisse, cum - ut ille putavit - pro hominibus doctis inde provenientibus non esse usum, et eundem timuisse, ne talibus scholis malus effectus exsereretur in progressum cultūs civilis desideratum.¹⁰⁰ Gubernatorem talem opinionem habuisse non est mirandum, quia unā ex parte munera superiora imprimis tantummodo Iaponibus tradita sunt, alterā ex parte homines eruditi ipsi cogitare atque dijudicare didicerunt et hunc in modum regimini autocratico, cui indigenae non multum valent, periculosi fiunt.¹⁰¹ Abbas autem putavit gymnasia Coreana esse necessaria, sed illo tempore, quo colloquium fiebat, eis adhuc defuisse condiciones fundamentales, cum eruditio elementaria, id est in scholis elementariis, nondum satis dilatata esset.¹⁰² Eruditione populi omnino opus esse, ne omnia munera civitatis ab Iaponibus occuparentur.¹⁰³ Abbatis conclusio ergo erat plurimos magistros necessarios esse et eā de causā prorsus necessarium esse, ut seminarium magistrorum institueretur.¹⁰⁴

Ex relatione scriptā colloquii, quod Norbertus Weber cum gubernatore generali Terauchi habuit, non appareat, qualem effectum habuerit et quid revera constitutum sit. Verisimiliter abbas non omnes cogitationes suas, quas in textibus scriptis divulgavit, in colloquio ipso gubernatori tam directe dixerat, cum scopum suum perpetrare vellet et itaque cautionem quandam adhibere deberet. Tamen videtur conexū bene explicuisse et aliquā ex parte persuabiliter locutus esse. Nam schola opificibus destinata ab regimine Iaponico omnino non erat addubitata.¹⁰⁵ Ea, quae in discrimine erant, specta-

Im Lande der Morgenstille (1915), p. 136 sq.).

¹⁰⁰ *Cfr* Norbert WEBER: Brief. In: Missionsblätter 16, 1911/12, p. 17; Norbert WEBER: Im Lande der Morgenstille (1915), p. 410.

¹⁰¹ Norbertus Weber rem perspectam habuit, cum alio in conexū scriberet régime Iaponicum scholas superiores non desideravisse, quia eaedem contra ipsorum scopos proprios essent. Coreanos enim eruditioni scholari inhiavisse, quia eādem libertatem suam perpetrare voluissent. - *Cfr* Norbert WEBER: Im Lande der Morgenstille (1915), pp. 143 sq.

¹⁰² *Cfr* Norbert WEBER: Brief. In: Missionsblätter 16, 1911/12, p. 17. - Tamen gymnasia Coreana iam illo tempore instituisset, nisi difficultates ab regimine Iaponico obstitissent. Itaque haec sententia videtur iam ad compromissum ineundum spectare.

¹⁰³ *Cfr* Norbert WEBER: Im Lande der Morgenstille (1915), p. 144.

¹⁰⁴ *Cfr* Norbert WEBER: Brief. In: Missionsblätter 16, 1911/12, p. 17; Norbert WEBER: Im Lande der Morgenstille (1915), pp. 141, 144.

¹⁰⁵ In relationibus posterioribus de initisi missionis Coreanae etiam saepe legitur de magnā aestimatione, quā régime Iaponicum de hac scholā iudicaverat. - *Cfr* Frumentius

bant ad scholam quandam superiorem atque ad seminarium magistrorum. Sed abbas atque gubernator viam invēnērunt, quā compromissum facerent. Nam Benedictini ab consilio, quo scholam superiorem conderent, in praesenti abstinuerunt et gubernator seminarium magistrorum instituendum ad tempus concessit.¹⁰⁶ Itaque abbas Norbertus Weber operā suā intentā plurimum attribuit ad monasterium recenter conditum firmandum, cum ei contingere, ut scopum, propter quem Benedictini vocati sunt, servaret.¹⁰⁷

Paucis autem diebus post colloquium cum gubernatore habitum Ottiliani in fundo monasteriali aream signare atque emetiri coeperunt, quae ad novum aedificium seminarii erigendum spectabat.¹⁰⁸ Itaque Bonifatius Sauer totum programma suum aedificandi mutare coactus erat.

Abbas vero commoratione efficaciter finitā die 24^o m. Iun. a. 1911^o ex urbe Seulo profectus est iter suum in Africam suscepturus P.re Placido Vogel comitante.

RENNER: Berufung. In: Leuchter II (1992), p. 228; Cyrus WEHRMEISTER (1928), p. 167; Cyrus WEHRMEISTER (1939), p. 100; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), p. 83; Placidus BERGER: Abtei Seoul. In: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 93; Godfrey SIEBER: Bischof Sauer (2003), p. 352.

¹⁰⁶ Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), pp. 162 sq. textum scitū dignum affert, quem P. Bonifatius Sauer scripsit et quō īdem explicuit adventū abbatis in Coreā programma magis praecisum redditum esse. Nam cum Coreae occupatione ab Iaponibus factā Coreanae condiciones scholares prorsus mutatae essent, constitutum esse Ottilianos ab provisā scholā superiore condendā in praesenti abstinere, sed seminarium magistrorum instituendum atque iam exstantem scholam opificibus destinatam ampliandam magis intente curare. - Pro dolor illa verba allata in documento ab Iohanne Mahr memorato, nempe in textū Bonifatii Sauer die 27^o m. Oct. a. 1928^o scripto (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a) non inveniuntur. Videtur aliis textus atque mendum citationis esse.

¹⁰⁷ Plerique, qui de abbatis itinere Coreano referunt, omnino nihil dicunt de hac eius operā et scilicet nihil de effectū. Praeter Iohannem MAHR (Aufgehobene Häuser I (2009), pp. 155 sqq.), qui fusius in hanc quaestionem incubuit, mirum in modum tantummodo Beda DANZER (1929), p. 37 scribit visitationem Norberti Weber anno 1911^o factam fuisse magni momenti ad incrementum monasterii atque immediate postea seminarium magistrorum conditum esse. Tamen īdem sententiam suam amplius non explicat.

¹⁰⁸ Hoc nuntiatur in chronicis Coreanis, quorum textum affert Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 165.

4.6.3. De progressu missionis Coreanae

Norberto Weber profecto in urbe Seulo labores continuabantur. Novum aedificium seminarii tunc erat maioris momenti, cum post tantam contentio-nem virium diutius cunctari non liceret et necessarium esset, ut conspicue res ad effectum adduceretur. Itaque alia aedificia sive conficienda sive amplian-da sive incohanda postponebantur.

Tamen verum initium seminarii non solum dependebat de novo aedificio exstruendo. Cum Ottiliani necessitatem huiusmodi instituti tam pertinaciter demonstravissent, ipsis institutionibus docendi revera incohandum erat. Dispositionibus mutatis occasio praebebatur mense Septembri a. 1911ⁱ, cum die 14^o m. Sept. a. 1911^o monachi in novum maiusque aedificium monasterii



Seulense monasterium Sancti Benedicti anno 1911^o receptum.

A dextris «monasteriolum» primum.

*[Norbert WEBER: *Im Lande der Morgenstille* (1915), p. 45.]*

transmigrarent.¹⁰⁹ Quamvis instructio interna diutius non esset finita, monas-terium die 27^o m. Dec. a. 1911^o benedictione episcopi Gustavi Mutel sollem-niter inauguratum est.¹¹⁰ Quia monachi inde ab medio mense Septembri in novo domicilio habitabant, in «monasteriolo», ubi antea vivebant, spatium

¹⁰⁹ Cfr Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), p. 227; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 106.

¹¹⁰ Cfr Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), p. 228; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 166; Beda DANZER (1929), p. 37.

quoddam loci liberum redditum est. Itaque ibidem, ubi etiam parva cappella instructa erat, medio quoque mense Septembri a. 1911ⁱ seminarium magistrorum institui atque incohari potuit.¹¹¹ Primo recepti sunt circiter viginti quinque alumni, qui inter quindecim et duodeviginti annos nati erant.¹¹² Munere rectoris scholae P. Andreas Eckardt functus est. Erat autem initium satis bonum, etiamsi condiciones loci semper manserunt quadamtenus angustatae (etiam novo aedificio mense Aprili a. 1912ⁱ confecto) et etiamsi administratores Iapones rem acriter observaverunt.¹¹³

Cum unum problema erat solutum, aliud exoriebatur (interdum plura insimul exstabant), quod plerumque cum quaestionibus pecuniariis, saepe etiam cum condicionibus politicis cohaerebat. Talem vero sortem monachi Prioratū Seulensis partiti sunt cum omnibus aliis fundationibus Ottiliensibus. Tamen P. Bonifatius Sauer iam decursū anni 1911ⁱ nova consilia, proposita praedeliberationesque habuit, quibus Prioratum stabilire atque extendere voluit. Scitū autem dignae sunt eius explicationes, quas hōc in conexū īdem exhibuit.¹¹⁴ Generaliter enim īdem putavit Prioratum Sancti Benedicti et centrum scientificum et centrum oeconomicum fieri debere.¹¹⁵ Ad talem scopum perpetrandum omnino necessarium esse existimavit, ut monasterium maiorem possessionem fundorum sibi acquireret, quā oeconomice suae potestatis

¹¹¹ Cfr Bonifatii Sauer epistula die 27^o m. Oct. a. 1928^o data, p. 1 (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 a); Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), p. 227; Godfrey SIEBER: Bischof Sauer (2003), p. 352; Beda DANZER (1929), p. 37; Ivo AUF DER MAUR (1981), p. 85 adn. 29; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), p. 83; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 165.

¹¹² Cfr Bonifatii Sauer relatio die 28^o m. Oct. a. 1911^o ad redactorem periodici data, p. 7 (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b); Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), p. 227; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 165.

¹¹³ Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), p. 227 et Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 167 referunt Iapones inspectionibus suis scholarum ab initio scholam opificibus destinatam semper valde laudavisse, sed in seminario magistrorum semper aliquid reprehendendum invenisse.

¹¹⁴ Cfr Bonifatii Sauer relatio die 28^o m. Oct. a. 1911^o ad redactorem periodici directa (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b). - Ex allocutione non apparent, de quo periodico agatur, sed in textū ipso (p. 6) commemoratur periodicum, c.t. «Missiones catholicae» [«Die Katholischen Missionen»]. Ceterum commercium cum hōc periodico erat frequentius.

¹¹⁵ Cfr Bonifatii Sauer relatio die 28^o m. Oct. a. 1911^o ad redactorem periodici directa, p. 1 (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b).

fieri posset. Tria vero proposita habuit, quae, quantum quoad pecuniam fieri posset, omnia eodem modo ad effectum adducere desideravit. Primo cogitavit de oeconomiā instituendā, quae immediate iuxta aream monasterialem extra muros urbis sita esset.¹¹⁶ Ibīdem agriculturam leguminum atque amplam oeconomiam pecuariam institui opportunum esse putavit, cum praeter emolumentum, quo proprius victus partim ibi effici posset, viae transportationis essent breves. Secundo in distantiā trium quattuorve horarum maius praedium rusticum emere in animo habuit,¹¹⁷ ex quo plura emolumenta sibi exoptavit. Nam ibīdem maiores areas ad frumentum colendum atque molinam instruendam esse. Deinde hunc in modum patres locum habere, quo in fériis vires restituere possent. Denique ibīdem patres ex Europā advenientes versari posse studiorum causā, cum propter varia opera suscipienda maximi momenti esset facultas, quā linguam Coreanam optime addiscerent eāque excellenter loquerentur.¹¹⁸ Tertio cogitavit de bonis agris emendis, quibus oryza coli posset.¹¹⁹ Cum enim oryza esset cibus praecipuus Coreanorum et iam illo tempore circiter octoginta Coreani apud Benedictinos habitarent, indigentiam huius frumenti esse magnam et decursū temporis maiorem fieri. Itaque opportunius esse oryzam colere quam emere. Ceterum illos agros in propinquitate praedii rustici supra commemorati sibi acquirere bonum esse putavit. Bene autem scivit P. Bonifatius Sauer, quanta summa pecuniaria esset necessaria, ut haec proposita ad effectum adducere posset. Quam pecuniam tamen non habuit.¹²⁰ Tamen putavit ad aream monasterialem complendam, quamvis aliquatenus magna esset, omnino necessarium esse, ut quidam fundi adiacentes coemerentur, quibus ad posteriores domos scholares


¹¹⁶ *Cfr* Bonifatii Sauer relatio die 28º m. Oct. a. 1911º ad redactorem periodici directa, p. 2 (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b).

¹¹⁷ *Cfr* Bonifatii Sauer relatio die 28º m. Oct. a. 1911º ad redactorem periodici directa, pp. 3 sq. (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b).

¹¹⁸ Talem facultatem loquelarem acquirendam esse Bonifatius Sauer iam postulavit in deliberationibus suis mense Iunio a. 1909º exhibitis, quae inscribuntur «Meine Ansichten über die nach Korea zu entsendenden Mitbrüder» (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b).

¹¹⁹ *Cfr* Bonifatii Sauer relatio die 28º m. Oct. a. 1911º ad redactorem periodici directa, p. 4 (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b).

¹²⁰ Insuper pecunia necessaria ad aedificium seminarii conficiendum illo tempore ei deerat, ut paginis 6 et 7 eiusdem epistulae commemoravit.



Delineatio, quam Bonifatius Sauer relationi suaे adiunxit et qua areae iuxta monasterium emendae indicantur.
[ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b]

progressus ad abbatiam. Nam die 19^o m. Febr. a. 1913^o abbas superiorque generalis Norbertus Weber petitionem Romam misit,¹²⁴ quā condiciones monasterii Seulensis explicans atque causas exhibens, cur hōc peteret, rogavit, ut Prioratus Sancti Benedicti in abbatiam eveheretur. Scripsit autem abbas

opificinasque exstruendas egeret.¹²¹ Haec res urgens esse ei videbatur, cum pretia fundorum iam essent in eo, ut augerentur.¹²² Magnas difficultates pecuniarias ante oculos Bonifatius Sauer tamen magna consilia propositaque - in se non mala - habuit, quibus inceptum Coreanum stabilire atque momentum Prioratū sui extendere posset.¹²³ Itaque rebus iam effectis non erat contentus, sed de temporibus futuris atque de magno opere sibi imposito cogitavit.

Sed quam celeris progressus Seulensis monasterii ad Prioratum erat, tam celeris quōque erat eius pro-

¹²¹ Ceterum Bonifatius Sauer illo tempore iam cogitavit se rebus spiritalibus materialibusque aliquatenus consolidatis seminarium monasteriale instituere posse, quo illi (indigenae quōque) erudirentur, qui monachi fieri vellent. - *Cfr* Bonifatii Sauer relatio die 28^o m. Oct. a. 1911^o ad redactorem periodici directa, p. 9 (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b).

¹²² *Cfr* Bonifatii Sauer relatio die 28^o m. Oct. a. 1911^o ad redactorem periodici directa, pp. 5 sq. (ASO, Z.1.Asien: Seoul 1909-1927 b). - De similibus problematis, quae etiam posterioribus annis exstabant, *cfr* Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser (2009), pp. 184 sq.

¹²³ Ceterum scopus huius epistulae erat in eo, ut aliquo modo pro propositis suis pecuniam acquireret.

¹²⁴ Videtur Norbertus Weber, antequam petitionem misit, consultationes de hac re cum Bonifatio Sauer habuisse. Nam Bonifatius Sauer ad tertium capitulum generale participandum, quod demum die 6^o m. Aug. a. 1913^o incohatum est, iam mense Ianuario a. 1913ⁱ in Germaniam vēnit et in abbatiā Ottiliensi versatus est. Mense autem Aprili a. 1913ⁱ unā cum abate Norberto Weber Romam vectus est. - *Cfr* Jahresbericht der Benediktiner-Mission von St. Ottilien (1913). In: Missionsblätter 18, 1914, p. 257.

haec:¹²⁵

«Norbertus Weber, Abbas O.S.B. et Superior generalis Congregationis Ottiliensis pro Missionibus ext. ad Pedes Sanctitatis Tuae provolutus, omni qua par est humilitate exponit:

Anno 1909 in Capite Coreae Seoul Congregatio nostra, invitata a Rmo Episcopo et Vicario Apostolico D.D. Mutel et missa a S. Congregatione de Propaganda Fide Monasterium «Ad Sanctum Benedictum» fundavit, quod Sanctitas Tua eodem anno in Prioratum canonice erigere dignata est.

Ex sumptibus Matrocoenobii et ex eleemosynis oblatis non solum Monasterium cum Ecclesia exstrui potuerunt, qua magnus Christianorum et Catechumenorum numerus recipitur, sed etiam amplius hortus et largi agri empti sunt, quibus, cum sint 100 iugerum, et familiae monasticae et numerosae discipulorum turbae magna ex parte victus paratur.

Iam primo anno schola opificum per fratres laicos instituta est, quae cum pauperi Christianitati maximo est emolumento tum attrahit iuvenes ethnicos ad artes ediscendas et ad veram fidem. Cui scholae cum provideat genti, valde favet Gubernium Iaponicum, quod hac de causa nullum obiecit impedimentum in erigenda schola altera, in qua efformantur ludi magistri catholici. Haec schola largum permittit lucrum Missioni, quae ad fidem firmandam ubique scholis indiget.

Sed desiderium esset, ut istud Monasterium in Abbatiam evehatur. Tunc enim ex una parte maiore gauderet auctoritate apud Gubernium, ex altera parte familia Benedictina completeretur, id quod necessarium esse videtur, si proximo tempore fratres ex indigenis suscipientur et Seminarium ad efformandos Monachos Presbyteros erigeretur.

Adhuc multum sperandum esset fidei Catholicae propugnandae ex Abbatia. Cum enim illae gentes caeremoniis et pompa Buddhistarum assueti sint, magnificentia ac pulchritudine liturgiae pontificalis procul dubio attrahuntur ad cognoscendam et amplectendam veram religionem.

Status Monasterii non quidem videtur esse consentiens cum iis, quae in Constitutionibus Congregationis nostrae habentur condicionibus. Degunt enim illic 7 Patres et novem fratres laici, cum a Constitutionibus 12 Patres requirantur pro erigenda Abbatia. Cum vero hic status requirendus magis respiciunt regiones Christianas quam Missionem cum porro ex Abbatia erecta, uti expositum est, magna proveniat utilitas, cum denique proximis

¹²⁵ Abbatis Norberti Weber petitio die 19 m. Febr. a. 1913 data ad monasterii Seulensis evectionem in abbatiam spectans (ASO, Z.1.Asien). - Textus originaliter Latinus.

annis numerus compleatur necessitas urgeat, infrascriptus Abbas Conven-tum sui monasterii convocavit, qui re diligenter perpensa una mecum Sancti-tatem Tuam humillime et enixe rogat, ut Ipsa Prioratum ad S. Benedictum in Seoul in Abbatiam canonice erigere dignetur concedens dispensationem super praescripto Religiosorum numero.»


Apparet ergo superiorem generalem non solum de rebus iam effectis rettulisse atque scholas, propter quas Benedictini in Coream vocati sunt, opus magni momenti et sub aspectū sociali et sub aspectū missionario esse demonstravit, sed etiam desideratos effectūs futuros iam ante oculos posuit. Scitū autem dignum est eum - sicuti iam in quaestione Prioratūs erigendi - denuo dispensationem rogavisse, cum numerus patrum cum votis sollemnibus ad conven-tum Seulensem pertinentium ad abbatiam erigendam revera non suffecisset.

Non autem frustra petiverat Norbertus Weber. Iam die 15^o m. Maii a. 1913^o Ottiliana fundatio in Coreā facta in abbatiam evecta est.¹²⁶ Et hōc evēnit ne tribus semis quidem annis, postquam primus conventus monachorum in «monasteriolo» congregatus est. Sic Seulense monasterium Sancti Benedicti erat primum monasterium Benedictinum totā in Asiā orientali et praeterea erat iuxta Ottiliensem abbatiam matricem primum monasterium Congregatio-nis, quod in abbatiam evectum est.

Primus autem abbas huius novae abbatiae factus est P. Bonifatius Sauer,¹²⁷

¹²⁶ Cfr Missionsblätter 17, 1913, p. 257, ubi etiam legitur fuisse primum actum officialem Fidelis von Stotzingen Benedictinorum abbatis primatis recenter electi; Beda DANZER (1929), p. 37; Cyrillus WEHRMEISTER (1939), pp. 100 sq.; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), p. 85; Ivo AUF DER MAUR (1981), p. 85; Frumentius RENNER: Kongregation. In: Studien und Mitteilungen 95, 1984, p. 37; Placidus BERGER: Abtei Seoul. In: Basilius DOPPELFELD (ed.) (1988), p. 84; Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (1992), p. 228; Godfrey SIEBER (1992), p. 35; Frumentius RENNER: Missionarisches Wirken. In: Leuchter IV (1993), p. 129; Johannes MAHR (2003), p. 136; Godfrey SIEBER: Bischof Sauer (2003), p. 352. - Solum annum commemorant Leander BOPP (1952), p. 71; Olaf GRAF: Abtbischof Bonifatius Sauer. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab (1973), p. 69; Frumentius RENNER: Norbert Weber. In: Adolf LAYER (ed.) (1976), p. 339; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter II (1992), p. 22; Frumentius RENNER: Benediktinerkongregation. In: Ulrich FAUST / Franz QUARTAL (edd.) (1999), p. 807. - Cyrillus WEHRMEISTER (1928), p. 167 falsum annum 1912^{um} indicat.

¹²⁷ De eius vitā usque ad missionem Coreanam cfr. Die Weihe des Abtes Bonifatius Sauer der neuen Abtei St. Benedikt in Seoul. In: Missionsblätter 17, 1913, p. 257; Olaf GRAF: Abtbischof Bonifatius Sauer. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.):



*Abbas Bonifatius Sauer.
[Johannes MAHR: Aufgehobene
Häuser I (2009), p. 181.]*

quem ipse superior generalis Norbertus Weber nominaverat. Fuerat autem exspectandum Bonifatium Sauer hōc munus acceptum esse, cum īdem Prior monasterii Coreani iam fuisset atque de toto incepto optime meritus esset.

Die 8^o m. Iun. a. 1913^o (ante initium tertii capituli generalis eodem anno habendi) in abbatiā Ottiliensi sollemniter celebrata est benedictio novi abbatis Seulensis, quam episcopus Augustanus Maximilanus von Lingg prae-^{buit.}¹²⁸ Huic festo non solum archiabbas Beuronensis Ildefonsus Schober, qui de Congregatione Ottiliensi consolidandā optime meritus fuerat, sed praeter alios ex. gr. etiam abbas Seccoviensis, abbas Mettensis, abbas Brigantiensis atque repreäsentantes regiminis Bavarii

interfuerunt. Hunc in modum manifestabatur, qualem agnitionem Congregatio Otteliensis eiusque superior generalis interea sibi acquisivissent.¹²⁹ Tamen omnes responsales sibi concii erant tempus futurum novae abbatiae fore non facile.

4.6.4. De secundo itinere Africano eiusque effectu

Breviter quaedam referenda sunt de secundo itinere Africano abbatis Otteliensis. Ut supra commemoratum est, Norbertus Weber unā cum Placido Vogel ex Coreā veniens Africam orientalem petivit. Ibīdem enim visitationem canonicam continuare voluit, quam anno 1905^o propter seditionem

Hwan Gab (1973), pp. 67 sq.; Godfrey SIEBER: Bischof Sauer (2003), p. 351.

¹²⁸ Cfr Die Weihe des Abtes Bonifatius Sauer der neuen Abtei St. Benedikt in Seoul. In: Missionsblätter 17, 1913, pp. 257 sqq., ubi fuse de hōc festō refertur; Frumentius RENNER: Berufung. In: Leuchter II (1992), p. 229; Frumentius RENNER: Missionarisches Wirken. In: Leuchter IV (1993), p. 129; Johannes MAHR (2003), p. 136; Godfrey SIEBER: Bischof Sauer (2003), p. 352; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 84; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 179;

¹²⁹ Similiter de hac re censem Cyrill SCHÄFER (2005), p. 84; Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser I (2009), p. 179.

bellumque interrumpere coactus erat.¹³⁰ Cum iam esset in itinere, visitationes illarum duarum regionum coniungere opportunum esse videbatur.

In ipsā Africanā regione missionariā abbas plures menses commoratus est. In Apostolico Vicariatū Daressalamensi inde ex anno 1905^o multa effecta erant, cum missionarii non solum stationes deletas magnā ex parte reficere potuisserent, sed etiam novas stationes, velut Ndanda, Kipatimu, Ifakara, Bihawana, condere et in ipsis operibus missionariis scholaribusque progressūs facere valuissent.¹³¹ Norberto autem Weber illā vice secundi itineris Africani contigit, ut omnes stationes inviseret, imprimis illas, quae anno 1905^o seditionis causā neglegendae erant. Quamvis tumultibus non perturbaretur, tamen hoc quōque iter non erat facile, cum abbas plus quam duo milia chiliometrorum emensus regionem magnā ex parte pedibus transmigraret interdum condicionibus fatigantibus periculosisque superatis.¹³² Hunc in modum iterum bonum conspectum rerum sibi acquirere potuit. Die autem 31^o m. Maii a. 1912^o Norbertus Weber ex portū Daressalamensi profectus est patriam petens.¹³³ Post absentiam sesquialterius anni die 22^o m. Iun. a. 1912^o in abbatiam Ottiliensem revertit.¹³⁴

Tamen praeter conspectum abbatis superiorisque generalis illud iter Africatum etiam alium effectum habuit. Nam episcopus Thomas Spreiter Vicarius Apostolicus Daressalamensis iam saepius deliberationes protulerat, quibus territorium, quod ei curandum erat, minueretur. Itaque abbas Norbertus Weber, postquam ipse res condicionesque inspexit, post redditum petitionem Romam misit, quā rogavit, ut de dimensione Africanae regionis missionariae

¹³⁰ Cfr supra cap. 4.3.2.

¹³¹ Cfr Frumentius RENNER: Die Benediktinermission in Ostafrika - eine Überschau. In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), p. 117; Cyrillus WEHRMEISTER (1939), p. 49.

¹³² Ea, quae Norbertus Weber illo in itinere vidit obervavitque atque expertus est, proprio libro - sicut post primum iter - non sunt divulgata, sed tantummodo quaedam (ex diario deprompta) in periodico, c.t. «*Paginae missionariae*» exhibebantur (cfr Norbert WEBER: Meine letzten Wochen in Afrika. In: Missionsblätter 17, 1913, pp. 161 sqq., pp. 193 sqq., pp. 226 sqq.). Recordationes huius secundi itineris Africani etiam inveniuntur in libro, c.t. «*De cura hominum pro regno Dei*» (cfr Norbert WEBER: Menschensorge für Gottes Reich. St. Ottilien 1913, pp. 220 sqq.).

¹³³ Cfr Norbert WEBER: Meine letzten Wochen in Afrika. In: Missionsblätter 17, 1913, pp. 232 sqq.

¹³⁴ Cfr Chron. Ottil. m. Iun. a. 1912; Jahresbericht der Benediktiner-Mission von St. Ottilien (1912). In: Missionsblätter 17, 1913, pp. 241 sq.; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter II (2¹⁹⁹²), p. 22.


Ottilianis traditae denuo deliberaretur. Petatio vero ab Congregatione de Propaganda Fide decreto die 12º m. Nov. a. 1913º dato concessa est,¹³⁵ quo decreto Praefectura Apostolica Lindi instituebatur.¹³⁶ Nominabatur vero haec Praefectura ex urbe principali huius regionis et tradita est - sicut Vicariatus Apostolicus - Congregationi Ottiliensi.

Hunc in modum regio missionaria Africæ orientalis dividebatur in partem septentrionalem, quā Apostolicus Vicariatus Daressalamensis diminutus continebatur, atque partem meriodionalem, quae deinde erat Apostolica Praefectura Lindiensis. Ad novam Praefecturam pertinebant praeter alias etiam stationes Ndanda, Lukuledi, Peramiho, Kigonsera. Praefectus Apostolicus huius regionis redditus est P. Villibrordus Lay.¹³⁷

¹³⁵ Cfr Missionsblätter 18, 1913/14, pp. 118 sqq.; Frumentius RENNER: Ostafrikamission. In: Leuchter II (2nd edition 1992), p. 137; Godfrey SIEBER (1992), p. 52; Johannes MAHR (2003), p. 136. Solum ipsum annum indicant Beda DANZER (1929), p. 81; Cyrus WEHRMEISTER (1928), p. 163; Cyrus WEHRMEISTER (1939), p. 49; Suso BRECHTER: Mönch und Missionar. In: Die Katholischen Missionen 75, 1956, p. 115; Siegfried HERTLEIN: Benediktinische Missionsmethode in Ostafrika. Idee und Wirklichkeit. In: Siegfried HERTLEIN / Remigius RUDMANN (ed.): Zukunft aus empfangenem Erbe. St. Ottilien 1983, p. 102; Frumentius RENNER: Kongregation. In: Studien und Mitteilungen 95, 1984, p. 34; Frumentius RENNER: Entfaltung. In: Leuchter II (2nd edition 1992), p. 22.

¹³⁶ Cfr AAS 5, 1913, p. 497. - Textus autem decreti est hic: «*Ut ad orientales oras Africæ centralis consultius indigenarum conversioni providerentur, Emi Patres S. huius Consilii Fidei Propagandæ, in plenariis comitiis die 10 vertentis mensis habitis, a Vicariatu Apostolico Daressalamensi, qui latissime patet, universum eius territorium quod ad meridiem iacet inter Niassa lacum et Oceanum, dismembrandum et in separatam Praefecturam Apostolicam erigendum esse censuerunt, cuius limites sint: Ad boream Mbemkuru flumen ab eius ostio ad fontes, mox recta linea, quae exinde ducitur, usque eo ubi Pitu flumen in Ruhuje influit, hinc Ruhuje flumen usque ad eius fontes, ac demum linea, quae a predictis fontibus dicta, Niassae lacus verticem spetentrionalem attingit. Ad occidentem autem lacus Niassa. Ad meridiem vero confinia civilia, quae territorium Germanicum a Mozambiquensi colonia dirimunt. Ad orientem tandem Oceanus. Porro sic definitam Praefecturam a Lindi, urbe territorii principe, nuncupandam, ac alumnis Congregationis Benedictinae de S. Othilia concredendam esse statuerunt. - Quam sententiam, Ssmo D.N. Pio div. prov. PP. X per infrascriptum S. Congregationis Secretarium in audiencia eiusdem diei relatam. Sanctitas Sua in omnibus approbare ratamque habere dignata est, praesensque ea de re Decretum fieri iussit. - Datum Romæ ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 12 novembbris anno Domini 1913. Fr. H.M. Card. Gotti, Praefectus. C. Laurenti, Secretarius.»*

¹³⁷ Idem inter tertium capitulum generale in abbatiā Ottiliensi versabatur munere secretarii episcopi Thomae Spreiter functus (cfr supra cap. 4.5.1.2.). - Ceterum Frumentius



*Tabula geographica missionariae regionis Africae orientalis
cum nova Praefectura Apostolica Lindi.
[Godfrey SIEBER (1992), p. 55 (nominibus Latinis adaptatis).]*

Etiam si abbas Norbertus Weber propter iter Coreanum Africanumque satis diu in monasterio suo non versabatur atque eiusdem gubernium internum illo spatio temporis in manibus Prioris P.ris Martini Malter relinquere debuit, tamen quod attinet ad res missionarias multa instigare atque multa ad effectum adducere potuit.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 191, 2013, pp. 35-74.]

RENNER: Ostafrikamission. In: Leuchter II (1992), p. 137 commemorat Villibrordum Lay anno 1914^o etiam stationem Litembo condidisse. Erat autem illa statio, in qua Norbertus Weber ultimos annos vitae suaee degit.